

www.e-rara.ch

**Theophylacti Bvlgarorum Archiepiscopi, In quatuor Evangelistas, in D.
Pauli Epistolas, in minores aliquot Prophetas, doctiss. Enarrationes**

Montanus, Philippus

Basileæ, Anno Christi M. D. LXX.

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149539>

[In Epistolam Ad Corinthum Enarratio]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A reuocauit, ut ab his quæ iam accepissent, alacriores ad credendū reddantur futura. Si enim eos cū essent inimici, seruauit, multo magis nūc cōteret satanā. Vide autē quod neq; opera sine uoto, neq; orationē aut uotū citra opera ponat. Cū. n. obediētiā eis adesse testatus esset, adiecit uotum: subindicans nos non solum olim, uerū etiam nunc etsi probati simus, indigere Dei gratia.

SALVAT uos Timotheus adiutor meus.] Cooperabatur enim ipsi in Euangelio. Ingēs autem encomium est, eadem cum diuo Paulo operari.

ET Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.] Iason iste in Apostolorum actis celebratur, ut qui fortissimē extrema etiam pericula tum subierit, tum tolerauerit. Cognatos autem nēdum secundum carnem, uerū multo magis secundum pietatem nominat. Ni enim tales fuissent, nullam eorum fecisset mentionem.

SALVTO uos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc.] Magnum sanē est, diui Pauli amānuensem esse. Hæc autem scribit, non ut seipsum commendet, ceterū ut maiori dilectione ab ipsis adficiatur, ut qui operam suam impenderit literis ad ipsos scribendis.

SALVAT uos Gaius hospes meus, ac totius ecclesiæ.] Hoc est, qui me hospitio excepit. Plurimum porrō laudis est, quod totam ecclesiam hospitio excepit: adeoq; ipsum Paulum, qui non temerē apud illum diuertisset, nisi eum dignum inuenisset.

SALVAT uos Erastus æconomus urbis, & Quartus frater.] Hoc est, prospector & gubernator urbis Corinthi: ut animaduertas, neq; opes, neque dignitatem quempiam arcere à fide uel à recta uita.

GRATIA Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.] Fundamentū siue principium Epistolæ inde orsus est, inquiens, Gratia uobis & pax: porrō iam nunc fastigium seu finem ex ipsa imponit, gratiam Dei cunctis nunquā non adesse imprecans. Hoc enim fidelis est præceptoris, non uerbo solum, uerum etiam oratione commodare discipulis. Propterea etiam dicebant: Nos autem oratione & ministerio uerbi instantes erimus. Ipsa proinde gratia nos custodiat, qui non speramus ex operibus salutis locum inuenire, ceterū prorsus in diuinā gratiam & misericordiam fiduciam collocamus, ut ita per ipsam superiores euadamus, satanæ laqueis contritis sub pedibus nostris in Christo Iesu, cui gloria in secula. Amen

Missæ est à Corintho per Phœben Cenchreensis ecclesiæ ministram.

**IN PRIOREM DIUI PAULI APOSTOLI AD
Corinthios epistolam, Theophylacti
ARGUMENTVM.**

Corinthus opum exuberantia, & sapientia superbiens credidit quidem Christo, uerū post fidem acceptā periclitabatur ne à Christo excideret. Siquidem opulenti proprias classes & ordines fecerant, sapientes item proprias, sibiq; ipsi doctores eligētes, diuum Paulū ceu pauperem & plebeium calumniabantur. Præterea quispiam inter ipsos cum nouerca sua rem habuerat. Tum idolis immolata nonnulli edebant pro gastrimargia sua. Deinde in causis ciuilibus facultatū & possessionum nomine apud Græcos, hoc est, infideles iudices, contendebant, & iudicabatur. Comam item uiri nutriebant, & in ecclesijs manducabant, nihil quicquā impertientes indigentibus. Charismatum insuper seu donorum nomine inflabantur. Insuper resurrectionis ratio & fides apud ipsos claudicabat. Hunc uerò ad modum ab externa sua sapientia nutabant. Ista enim ijs qui tota ab ea pendent, cūq; omnia committunt, omnium malorū mater est. Scribit itaq; diuus Paulus urbi, hæc omnia corrigens. Quia uerò omnibus ceteris maior erat, dissensiones & scētas esse in ecclesia, hæc uerò ex fastu eorum nascebantur, fastum istum atq; adeo arrogantiam primū à medio tollit. Ex ea enim, arrogantia dico, altiora sese docere arbitrabantur: eam ob rem & hanc ad rationem initium ducit.

PRIMAE AD CORINTHIOS CAPVT I.

PAVLVS uocatus Apostolus.] Hoc est, nō ipse meritus sum apostolatū, neq; propria sapiētia apprehēdi: sed enim cum prius essem planē uastator ac expugnator postea uocatus sum. Quomodo igitur uos per uos electi estis doctores?

IESU Christi.] Christus est doctor ac præceptor: quomodo igitur uobis ipsi homines accensetis & adscribitis?

PER uolūtātē Dei.] Nō q̄a nos fuerimus digni, sed q̄a uoluit Deus, ideo nos seruauit & uocauit. Itaq; etiā nū uult me Apostolū & doctore uestru esse, eequa ratione uos alios uultis habere doctores? quod cū molimini, Deo resistitis. Nota autem hanc dictionem Per, patri appositā.

ET Sosthenes frater.] Per insignem modestiam se ipse Sostheni coniungit, idq; ad uerecūdiam fastuosorum ac turgidorum Corinthiorum, qui neminem non adspernabantur.

ECCLĒSIAE Dei quæ est Corinthi.] Non huius uel istius, sed Dei: ecqui igitur homines

Theophylact.

L 3 habetis

Iason.

Dignitas à fide non abarctet.

Act. 6.

*Actuum 9.
1. Cor. 15.*

Præpositio per, etiam patri appositā, contra Arianos.

Ecclesia. habetis præsides? Quòd si ecclesia estis, omnino uos unitos esse oportet. Nam ecclesia nomen C
coniunctionis & coadunationis est declaratiuum.

SANCTIFICATIS in Christo Iesu.] Non in homine quopiam, sed in Christo Iesu sanctificati estis: per baptisma uidelicet, non per sapientiam aut opes, quarum causa cristas erigitis.

Fides, à Deo est. VOCATIS sancti.] Ipsū (inquit) etiā credere nō est uestrū, sed à Deo uocati obediistis, & cre-

didistis. Proinde & fides principiū à Deo habet. nisi. n. ille uocasset, uos certē non obediissetis.

Fideles simul omnes, ecclesia. CVM omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi.] Non solis, inquit, uobis Corinthijs gratia sit & pax, sed omnibus etiā inuocantibus nomen Christi, nō huius uel illius.

IN omni loco, nostro & ipsorum.] Fidelium ubiuis gentium agentium meminit, uti demonstrat quòd una ecclesia sint omnes fideles, ubicunq; etiam fuerint. Ecqui uos unam incolentes urbem, diuisi estis? Iterum iam, nostrum, adiecit. Cum enim dixisset, Domini nostri Iesu Christi, interposito in medium, in omni loco, rursum repetijt ac dixit, nostri Domini & ipsorum, ut

commonstret communem esse cunctis fidelibus Dominum Christū. Sunt qui ut uerba iacent, intelligant, in omni loco nostro & ipsorum, hoc est, in quo & nos & illi sumus.

GRATIA uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] A Deo gratia & pax est, etiam prius, cum inimici essemus Dei, per gratiam ipsius pacem adepti sumus. Perpetuò autem hæc uobis adesse opto diuinitus, ut neq; à gratia eius excidatis, neq; à pace, tanquam inter uos mutuò dissidentes. Ecqui igitur hominibus uos adplicatis, cum gratiam, tum beneuolentiam apud illos inquirentes, ceu doctores uestros?

Gratiarū actio. GRATIAS ago.] Gratos nos esse docet, idq; in omni prorsus epistola. Opportunius autē nunc gratiarum actione usus est. Gratiarum enim actio propter gratiam fit: gratia autē non est debitum, neque compensatio. Atq; hoc Corinthiorum & cristas & fastum deprimit.

DEO meo.] Ex multa & immensa dilectione, Deū omnibus cōmunē, propriū sibi uēdicat.

SEMPER p uobis sup gratia.] Erudit p hoc Corinth. ut ipsi referāt quicquid boni habēt, acceptū Deo, nō pprijs operibus aut uirib. Sup gratia, inquit, Dei, uel ppter, nō ob uestra opera.

QUAE data est uobis in Christo Iesu.] Hoc est, per Christum Iesum, non per hunc uel aliū quempiam. Quid ergo hominibus mentem adhibetis?

QUIA in omnibus diuites facti estis in illo.] In illo rursum est, pro Per illum. Cū igitur opes uobis adsint, ac Dei opes, idq; omni re, ac per unigenitum Dei filium: qua quæso fronte uos ingrati, homines uobilipsis in doctores & præceptores adsciscitis?

Sermo sine cognitione, & cōtra. IN omni sermone & omni cognitione.] Potest etiam sermo quispiam citra cognitionē esse seu notitiam, ut si quis uana absq; cogitationibus & intellectu effutiat. Est & cognitio sine sermone, ut si quis sublimia intelligat, uerbo autem uel sermone non possit explicare. Vos autem & uerbum habetis, & notitiam diuinam, ut intelligere & proloqui possitis. D

SECUNDVM quod testimonium Christi confirmatum est in uobis.] Secundum quod, est pro Per quæ. Per uerbum, inquit, & notitiam in quibus ditati estis, stabilitum est in uobis testimonium, id est, prædicatio Christi. Non enim per externam adeoq; mundanam sapientiam accepistis prædicationem, sed per signa atque dona, quibus donati estis.

ITA ut uobis nihil desit in ullo dono.] Si in donis nihil illis deerat, quomodo in procursu carnales eos uocat? proinde dicendum est quòd neq; omnes fuerint spirituales, neq; omnes carnales. Quare quæ nunc dicit, ad spirituales dicit, alia uerò ad carnis affectibus deditos. Vel quòd uerisimile sit eos principio omnis generis charismata consecutos, deinceps autem ad socordiam relapsos, secundum carnis sualum uixisse.

EXPECTANTIBVS reuelationem Domini nostri Iesu Christi.] In trepidationem eos hic conijcit, secundi aduentus Christi mentione facta. Nam si Christus reuelandus est, quomodo uos alios præsides & præceptores habetis? Innuit autem pariter, quòd ad accepta charismata seu dona, alijs etiā uirtutibus indigeāt. In illa enim die nihil quicquam dona quenquam iuuabunt, nisi uita Christiano digna adfuerit. Reuelationem porrò dicens, indicat quòd hodieq; adsit quidem, abditus tamen sit, tum autem reuelabitur.

Christiani à solo Christo dicti. QUI & cōfirmabit uos usq; in finē sine crimine in die Domini nostri Iesu Christi.] Cū dicit Confirmabit, ostēdit eos nō nihil cōcussos: & cū ait, Sine crimine, significat eos iā criminibus obnoxios. Ad hæc cū sæpius meminit Dñi nostri Iesu Christi, quoties ne in ulla quidē alia epistola, reuocat Corinthijs ad memoriam, per quem sint æternū conseruati, & cuius nomine nocentur Christiani: nimirum à Christo, non ab alio quopiam humano nomine.

FIDELIS Deus, per quem uocati estis in societate filij ipsius Iesu Christi Domini nostri.] Hoc est, uerus Deus. Quòd si uerus, uocauitq; nos in societatem filij sui, hoc est, ut simul nos glorificet cum filio in regno suo: perspicuū ergo est quòd implebit quæ promisit. Vocati autem estis, non uos ipsi per uos ipsos accessistis. Quomodo igitur superbitis ceu de proprijs uestris operibus? Obserua hic apertē palam, per quem, de patre accipiendum.

OBSECO autē uos fratres p nomē Dñi nostri Iesu Chri.] Quia illis acerbis est uerba factura, anteuertēs, obsecrare se illos dicit p nomē Christi. i. ego ad obsecrationē siue obtestationē nō sufficio, hic nomē Dñi simul adsumo, à quo uocamini qdē Christiani. At uos iniuria isthuc adficiētes, maluistis ab hominib. uocari. hoc igitur iā nunc uos malè habeat, & pudore afficiat.

UT idē dicatis omnes, & non sint inter uos schismata.] Quid est quòd obtestor? ut modesti, inquit,

A inquit, sitis omnes, & nō discindamini. Quod enim scinditur, uidetur pro uno multa fieri, cum tamen multa haudquaquam facta sint. Quæ enim commoditas multorum multorum unitate perdentium? Significantissimè igitur schismata appellauit ea quæ apud ipsos fiunt. Indicat enim palàm hac dictione, quàm miserè Corinthiorum res habuerint.

*Seclorum ma-
la.*

SITIS autem compacti in eadem mente, & eadem sententia. Quia suprà dixerat, Vt idem dicatis: ut ne existimet penes uerba tantum concordiam & unanimitatem esse, subdit, Eadem mente, hoc est, ut eodem affectu imbuamini, idem sentiat. Quoniam autem pleriq; in opere quidem hoc consentiunt, in illo uerò minime, adiecit propterea compacti, hoc est, perfecti.

IN omnibus rebus idè sentientes. Multi sanè cogitatione quidè & intellectu uniti sunt, sententia uerò dissident. Nam si eandè quidem fidem habeamus, nō copulemur aut per charitatè, eadem quidem intelligimus, dissentimus tamen sententia. Ideo cum dixisset, Eadem mente, apposuit, & eadem sententia: ut neq; secundum fidem neq; secundum sententiam dissideant.

SIGNIFICATVM est enim mihi de uobis fratres ab his qui sunt Chloes. Ne inficias eant, testes producit: & ut ne uideatur ipse fingere, nomine exprimit, Chloes uidelicet familiã. Fuit autem Corinthi domus siue familia quæ nominabatur Chloes. Fratres autè adhuc eos appellat. Etiã si enim peccatum eorum perspicuū fuerit, nihil tamen prohibet eos fratres adhuc appellare. Non dixit autem palàm quoniam fuerint qui hoc significarint, sed totam domum omnino posuit, ut ne hos illis infensos reddat.

*Fraternitatem
peccatum non
dirimit.*

QVOD contentiones sint inter uos. Denunciaturus quæ nam ab indicantibus audiuerit, lites uel contentiones dixit, mansuetiore dictione usus. Quando uerò ex propria persona loquitur, schismata appellat, quod multo peius est lite.

DICO autè hoc, quod quilibet uestrū ait, Ego quidè sum Pauli, ego uerò Ap. Nō pars, inquit, uestrū hæc loquitur, sed quilibet uestrū. Nō hūc autè planè ad modū illi loquebatur, uerū Apostolus ita sermonè eorū adducit, ut ostēdat, si diceret se esse uel Pauli uel Cephæ, culpæ sit obnoxii: multo magis aliorū de nominib. uel ministerio gloriari, reprehensionè meretur, nec uacat crimine.

EGO autem Cephæ. Non ut seipsum præferat, Petrum posteriorem posuit, sed illum potius sibi anteponebat: perinde ac Christum iam posteriore loco posuit. In rebus enim factu indignis, primum suæ ipsius personæ meminit.

EGO autem Christi. Non hoc reprehendit quòd dicant, Ego sum Christi, sed quòd non omnes hoc dicant. Imò à seipso potius hoc posuit, uolens ita accusationem grauiorem constituere, atq; ostendere Christum quoque in partem unam datum, etsi illi hoc non faciebant.

B DIVISVS est Christus. Dissēcūstis Christum: diuisistis eius corpus. Indignationis autem plena est oratio. Sunt qui, Diuisus est Christus, sic intellexerūt, Partitus est ne Christus apud homines ecclesiam, ut adeò partem ipse sibi acceperit, partem uerò alteram illis dederit.

NVM Paulus crucifixus est pro uobis. Tollit quòd apud Corinthios absurdum accidebat, proprijsq; nominis meminit, ut ne uideatur ex inuidia alienorum nominum mentionem fecisse. Non dixit autem, Nunquid Paulus finxit seu creauit uos: sed enim quòd multo maius est, inexplicabilem eius clementiam indicans, cruce in medium depromit. Nec dixit, Nunquid Paulus mortuus est: sed crucifixus, mortis contumeliam, ut existimabatur, demonstrans.

AUT in nomine Pauli baptizati estis. Baptizauit, inquit, & ego non paucos, sed in Christi nomine. Id uerò ait, quando quidem & ea schismatis erat causa, nempe quòd à baptizantibus nomenclaturã sibi usurpabant, de quib; ijs gloriabantur. Atqui nō hoc quæritur, quisnã fuerit qui baptizate tinxerit, cæterū in cuius nomine baptizet. Is enim peccata remittit, nō qui baptizat.

*Non qui baptiz-
at, peccata rem-
ittit, sed in cui-
us nomen is ba-
ptizat.*

GRATIAS ago Deo, quòd neminè uestrūm baptizauerim, nisi Crispū & Gaium. Quid, inquit, baptizatoris nomine adeò superbitis, cum ego potius gratias agã Deo, quòd ego uos baptizate nō tinxerim. Hæc autem ait, baptismatis auctoritatem haudquaquam imminuēs, uel tollens, sed illorum arrogantiam & ostentationem tollens, quam hac in re habebant. Siqui dem baptisma res magna est: baptizare autem, respectu personæ operantis nō perinde magnū.

VT ne quis dicat, quòd in meo nomine baptizauerim. Non quòd de illis hoc diceret: At metuo, inquit, ne usq; eò progrediatur morbus. Si enim infimis hominibus baptizantibus emerferunt hæreses, forsan me præcone & apostolo baptizante, uerisimile esset fore, ut aliqui conspirarent, & meum baptisma celebrarent.

BAPTIZAUI autè & Stephanæ domum. Magnus hic fuit Corinthi, nec nō celeberrimus.

CÆTERVM nescio si quē aliū baptizauerim. Adeò, inquit, nō sū sollicitus circa baptisma, ut ne meminerim quidè nū aliū baptizauerim. Cur ergo eã ob rē efferimini aut cristas erigitis?

NON enim misit me Christus baptizare, sed euāgelizare. Nã laboriosus erat, atq; animo ferreo planè egebat, Euangeliū annunciare. Hominis enim sententiã mutare, atq; à patrū traditionibus, & maiorū suorū dogmatib. eū abducere, idq; in magnis periculis, magno profectò animo & strenuo opus habet. Assumere autè psuasum & ad baptisma paratū, eūq; baptizare, cuiuslibet fuerit sacerdotiū habētis. Ecquid oīo baptizare potuit Paulus, nisi ad hoc missus fuisset? Atqui nō est ad hoc missus primū & præcipuè. Atenim neq; phibitū ei hoc fuit ne faceret: ad maiore quidè functionē missus est, nō fuit tamē ei inhibitū ne id quòd minus esset, perficeret.

*Euangelij ano-
nunciationis
difficultas.*

NON in sapientia uerbi, ut nō euacuetur crux Christi. Sublato supercilio eorū qui baptismatis nomine cristas erexerant, ad eos nunc transit, qui externa sapientia efferebatur: quoniam, in-

quiens, misit me Euangelium prædicare, non in sapientia uerbi, hoc est, in eloquentia, sermonisq; cum elegantia, tum uenustate, ut ne noxam patiat & imminutionem crux. Hoc enim est quod ait, euacuatur, id est, uacua, inanis, & inutilis inueniatur. Si enim in sapientia uerbi Apostoli prædicassent, potuissent quidam dicere, quod orationis persuasibilitate & ornatu persuasissent hominibus, non uirtute prædicatarum rerum. Id uero in inanitatem & noxam, adeoq; contumeliam crucifixi celsisset. Iam uero in simplicitate sermonis promulgantes uerbum, crucifixi potentiam ostendunt, quæ cuncta perficit: atq; aliter item euacuatur crux. Exempli gratia, Interrogat me Græcus siue gentilis de diuinis quibusdam rebus humani ingenij captum exuperantibus. Hic si incipiam per syllogismos & externam ista sapietiam commonstrare, nihil efficiam, & infirmus ero: nulla enim ratio hæc exhibere potest: sicq; mea ista infirmitas, prædicationis infirmitas esse uidebitur: atq; hoc deinceps modo crux euacuatur, & inanis redditur, quippe quæ uanum quiddam & inane esse uideatur.

Syllogismi diuina non comprobantur.

SERMO enim crucis pereuntibus quidam stultitia est. Quia nonnulli erant infideles Corinthi crucem subannates, uerisimile erat fideles pro sua sapietia illis obsistere, indignè & grauiter ferentes, quæ illi in crucem iacerent conuicia & ludibria: ait igitur, Ne admiremini, aut ueluti obrem nouam turbemini. pereuntibus enim stultitia quædam uidetur ea, quæ sunt credentibus in salutem tradita à Deo. Sermonem autem crucis, prædicationem crucis dicit, siue crucifixi Christi.

IIIS autem qui salui fiunt, nobis potentia Dei est. Nobis, inquit, qui non perimus, sed seruamur æternum, potentia Dei est. Quinetiam sapientiam declarat crux. Potentiam sanè, quoniam morte mortem dissoluit & abstulit. Summa enim potentia est, eum qui cadit, cadendo uictoria potiri. Sapientiam uero, quod hoc modo eos qui perierant, conseruauit Christus.

ESAI. 29. SCRIPTVM est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobo. Cum pereuntes dixisset ipsos infideles, scripturæ testimonio bellè confirmat quod dixerat, infideles interire. Ea enim ait: Perdam sapientiam sapientium, nimirum huius mundi, hoc est, stultam eam esse demonstrabo, ac minimè esse sapientiam: ac reijciam prudentiam siue intelligentiam eorum qui sapere & intelligere sibi uidentur.

ESAI. 33. VBI sapiens? ubi scriba? ubi disputator seculi huius? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Scripturæ testimonium protulit: deinceps itaq; & à rebus ipsis demonstrationem adducit. Ac Græcos quidem redarguit, cum ait: Vbi sapiens? hoc est, philosophus.

Disputatores.

Iudæos uero, cum inquit, Vbi scriba? Disputatores autem nominauit eos, qui ratiocinationibus & inuestigationibus cuncta tribuunt. Nemo enim illorum seruauit nos, sed piscatores nos ab errore exemerunt. Quod uero ait, Deus stultam reddidit sapientiam, pro inefficacem esse demonstrauit, accepit, ac conuicit esse stultam, ut quæ non potuerit inuenire uerum.

NAM quia in Dei sapientia non cognouit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis seruire credentes. Causam reddit quare sapientia mundi in stultitiam sit uersa. Posteaquam enim in sapientia, quæ per creaturas cernitur (cælum enim & terra adeoq; omnis creatura prædicat conditorem) non nouisset mundus, hoc est, quæ mundi sunt adfectantes (Deum per sapientiam uidelicet quæ in eloquentia cernebatur, linguæq; politie, impediti) uisum est Deo per prædicationis simplicitatem, quæ uidetur quidem esse stultitia, cum minimè sit, seruire credentes. Habebant igitur doctorem Græci, sapientiam Dei, quæ in creaturis uidelicet enitescerat. Non agnouerunt autem Deum propter sapientiam quam ex humana traditione acceperant, quæ non est sapientia.

QUONIAM & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum. Vult commonstrare Paulus quomodo per contraria Deus contraria operatus sit, inquit: Si quando dixero Iudæo, Crede, actutum signa inquit ad confirmationem & commédationem prædicationis. Nos autem Christum prædicamus crucifixum: quod non solum non est signorum demonstratio uel exhibitio, uerum infirmitatis potius, ut in speciem appareret, indicium. Interim tamen eo, ut appareret, infirmo & contrario, quantum attinet ad hoc quod petit, perducitur ad fidem. Quæ res ingentem sanè Dei potentiam ostendit. Rursum Græci sapientiam inquirunt à nobis: atqui & illis nos Christum prædicamus, quod & ipsum, ut appareret, stultitiæ esse uidetur, Deum nempe crucifixum prædicare: interim tamen ita persuadentur. Nonne igitur maximæ hæc potentiæ argumenta sunt, ex contrarijs, quo ad ea quæ inquirunt, persuaderi eos?

LUCA. 7. IVDÆIS quidam scandalum, Græcis autem stultitiam. Iudæis, inquit, crucifixus est scandalum. Impingunt enim aduersus ipsum, dicentes, Ecce qui is qui comedit & bibit cum publicanis & meretricibus, ac tandem cum prædonibus crucifixus, potest esse Deus? Græci uero mysterium hoc irrident ceu stultitiam, eo quod sola fide, & non ratiocinationibus ullis, ex quibus ipsi dependebant, comprehendatur Deum crucifixum esse, & quia orationis splendore non exornetur.

IPSIS autem uocatis Iudæis atq; Græcis, Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam. Infidelibus quidem Iudæis Christus est offendiculum, & infidelibus Græcis stultitia uidetur, quod non inueniant signa quæ in eo quærant, & sapientiam. Vocatis autem Iudæis, & uocatis Græcis, hoc est, à Deo uocatis tanquam digni, utrumque esse ipse Christus inuenitur. Quid enim quæris o Iudæe signa? En Christus potentia Dei est, quæ signa efficit. Ac tu Græce, quid ais? quæris sapientiam? Habes Christum sapientiam patris.

QUIA

A QVIA quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.] Crucem hinc per stultum isthuc intelligit, ut quæ sic uideatur. Sapientius tamen hominibus est. Nam philosophi frigidis & inutilibus rebus incubuerunt: crux autem mundum serauit. Imbecille porro apparet, tãquam ex imbecillitate crucifixo Christo: sed fortius illud est hominibus, non solum ideo, quod cum innumeri conarentur extinguere hoc nomen, floret magis: uerum quia etiam per illum qui imbecillis uisus est, fortis Satanas ligatus est. Poteris autem hæc sic etiam intelligere, quod in Deo quod immense sapiens est, insipiens dicatur, hoc est stultum: & quod supra modum firmum, infirmum, perinde ac eximius splendor & excellens lumen, eius tenebræ & caligo dicuntur.

Stultum Dei
cruce.

VIDETE enim uocationem uestram fratres: quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.] Considerate, inquit, & scrutamini uocatos ad fidem, & inuenietis quod non multi sapientes sint secundum carnem, hoc est, ut apparet in speciem, in presenti uita. Non dixit autem quod nemo sapiens, sed non multi. Nam nonnulli sapientum ad fidem accesserunt, quorum de numero sunt Areopagita & Proconsul, & alij, de quorum nominibus nihil aperte indicatum. Quinetiam potentes quidam genere clari crediderunt. Ob hoc itaque in omnibus dixit, non multi. Proinde animaduerte potentiam & uirtutem prædicationis, quomodo idiotas & rudes adeo sapientia dogmata docuerit, & quonam modo exterior mundi sapientia inutile quippiam esse demonstratur.

Areopagita

SED quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut pudeficiat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut pudeficiat fortia.] Maximum enim Græcis inducit pudorem, si uideant in foro manuarium quempiam artificem in uera sapientia ipsos excedere, ac imbecillem adeoq; contemptibilem opibus & potestate conspicuos humiliare.

ET ignobilia mundi & contempta elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat.] Qui nihil esse reputantur, eos *ut uita*, id est non existentia, nominat: ea uero quæ sunt, illos qui aliquid esse uidentur. Vt igitur hos ociosos & inutiles ostendat, ob eam causam eos qui nihil sunt, elegit. Porro cum audis, elegit, non sic intelliges, quasi operæ precium duxerit, aut contemderit contemptos eligere, ac celebres coram mundo depellere uel reijcere: uerum quia cum celebres & insignes uiri propria sapientia intumescerent, eamq; ob rem Euangelij uerbum non susciperent, à fastu & arrogantia alieni ad huius susceptionem magis sint uisi idonei Deo.

VT ne gloriatur omnis caro coram Deo.] Propterea, inquit, hoc Deus fecit, ut deprimeret fastum & arrogantiam eorum qui mundana sapiunt, persuadeatq; omnia sibi accepta referenda, neque cuiquam coram ipso gloriandum. Quomodo igitur uos o Corinthij, ob eam rem efferrimini? Obserua autem quod haud temerè nobis dictum sit, quod propter arrogantiam indigni facti sunt prædicatione Euangelij, qui reiecti sunt.

EX ipso autem uos estis in Christo Iesu.] Quod ait ex ipso, non accipies dici de productione ad esse, sed de productione ad bene esse. Porro quod ait est huiusmodi: Filij Dei facti estis, & ex ipso estis filij eius facti in Christo, pro, per Christum. Quoniam dixerat quod ignobilia elegerit Deus, ostendit quod omnium sunt nobilissimi, qui patrem Deum sunt consecuti.

QVI factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redemptio.] Hoc est, sapientes nos & iustos, & sanctos, & liberos fecit. Nam *ἀπολύτρωσις*, id est redemptio significat reuocationem ex captiuitate. Quemadmodum ignobiles deligens, nobiles & claros fecit, filios Dei constituens: hunc ad modum stultos sapientes reddidit, factus nobis sapientia. Quomodo igitur non dixit, Sapientes nos fecit, sed, factus est nobis sapientia? Doni ut largitatem & exuberantiam uidelicet ostenderet: perinde ac si dicat, Seipsum nobis tradidit. Cum autem magna de filio dixisset, apponit, à Deo, ut ne ingenitum ipsum cogites, sed ad causam recurras: nempe patrem. Animaduerte autem ordinem. Primum sapientes fecit, liberans ab errore, denique cognitionem docens, deinde iustos, peccatorum dimissione data: post sanctificauit, per spiritum paraclerum. Atq; hac ratione perfectam liberationem ab omnibus malis nobis impertijt, & liberauit, ut ipsius tantum simus, eiq; duntaxat consecrati addictiq;.

VT quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino gloriatur.] Omnia hæc inquit, facta sunt, ut ne quisquã se putet esse aliquid, neq; in seipso gloriatur, uel in alio quopiã, sed in Deo qui tanta nobis donauit. Qui igitur uos propter uos turgetis, & propter homines doctores?

Hier. 91

CAPVT II.

ET ego cum uenissem ad uos fratres, non ueni in sublimitate sermonis & sapientiæ, annuncians uobis testimonium Dei.] Non solum, inquit, discipuli Euangelij insipientes & obscuro genere electi sunt, uerum etiam ego ipse Euangelij præco, non ueni oratione & sapientia humana instructus, annuncians uobis testimonium Dei, id est, mortem Christi. Animaduerte ergo, quod & præco insipiens est, & simplex, & quod id quod prædicatur, est mors ipsa & crux: attamen uel sic uictoriam obtinuit. Perpicuum itaq; est, quod sit inexplicabilis uirtus & potentia, quæ hæc sese ita habere efficiat. Quid autem? nunquid si uoluisset Paulus, potuisset uenire in sapientia? Ipse sanè non potuisset, reuera enim simplex, siue rudis erat. Potuisset tamen hoc efficere Christus, qui maiora largitus est, sed non conducebat Euangelij prædicationi. Maiore nanq; gloria Christus & honore euehitur, per diuini Pauli simplicitatem uincens, quàm si per sapientiam orationisq; splendorem uictoriam retulisset.

Paulus in simplicitate, non in orationis splendore uerbum euangelij annunciat.

NON

NON enim iudicavi me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.] Christus, inquit, uoluit ut essem imperitus & simplex ego. Atque istuc ego bonum esse iudicavi, quod nihil externæ sapientiæ scirem, præterquam hoc tantum, quod Christus Iesus crucifixus est, & quod eum uobis prædicarem.

Pauli timor. ET ego in infirmitate, & timore ac tremore fui apud uos.] Non solum, inquit, contemptus quantum ad orationem attinet, ad uos ueni: sed & in infirmitate, in timore ac tremore sum uersatus apud uos, hoc est, persecutionem passus, tentatione atque adeo innumeris formidibus obiectus. Nam & ipse metuebat, ut homo, pericula, imò tremebat etiam. Vnde & maiorem est adeptus laudem, quod cum eiusdem esset nobiscum naturæ, uoluntate tamen & consilio exuperauerit. Hæc autem dicit, Christi potentiam ostendens. Nam cum tot tantaq; essent impedimenta, præualuit tamen, ac potentior apparuit, Corinthiorum quoque supercilium, in sapientia, potentia, & opibus confidentium, deiiciens.

Paulus ut persecuaserit. ET sermo meus, & prædicatio mea, nõ in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in demonstratione spiritus & uirtutis.] Non erat, inquit, prædicatio mea compta persuasibilitate externoq; orationis & facundiæ cum splendore tum uenere, sed in demonstratione spiritus, hoc est, demonstrationem habebam ipsum spiritum sanctum: forsan ideo, quia inexplicabili quodam modo fidem ingerebat auditoribus per gratum uerbi ministerium, uel quia signa perficiebat & prodigia. Infert enim, & uirtutis, id est signorum. Maxima enim ad fidem apodixis erat, mortuos uidere resurgentes. Quia uero & a dæmonibus uirtutes fiunt per imposturam, quæ prius dixisset, spiritus, subintulit, & uirtutis: ostendens spiritualia fuisse quæ facta sint. Potest autem uirtutis uocabulum aliter etiam intelligi. Cum enim dixisset, Non ueni ad uos in sapientia, sed in infirmitate: ad sapientiam retulit, in demonstratione spiritus. Ad hoc uero quod ait, in infirmitate, uirtutis uocem reddidit: id est, etiã si persecutionem patiar, & uerberibus affligar, attamen adhuc potentior demonstrabor, quod ipsum est maxima sermonis demonstratio.

Virtus.

VT fides ueltra non sit in sapientia hominum, sed in uirtute Dei.] Sapientiam hominum, eloquentiam uocat, & uim persuadendi: potentiam autem Dei, ut supra demonstratum est, imbecillium & persecutioni obnoxiorum confortationem, uires, & robur, signorumq; seu miraculorum demonstrationem, quæ iam fidem uobis o Corinthij conciliarunt & confirmarunt, non sanè humanæ dicendi facultatis splendor & facundia, cæterum uirtus & potentia Dei.

SAPIENTIAM autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non seculi huius, aut principum seculi huius qui abolerentur.] Stultitiam quidem supra nominauit prædicationem, perinde ac Græci appellabant. Postquam autem demonstrauit reuera adeoq; ipsis operibus, ueram esse eam sapientiam, audet deinceps sapientiam etiam appellare prædicationem de Christo, adeoq; salutem per Christum affixum cruci partam: maximæ enim sapientiæ, mortem morte delere.] Perfectos porro fideles nominat. ij enim perfecti sunt, qui terrenis omnibus posthabitis ad cœlestia subuolant. Seculi autem huius sapientiam nominat externam illam ueluti temporariam ac transitoriam, & quæ cum hoc seculo dissoluatur. Principes porro huius seculi, non dæmones appellat, ut quidam uoluerunt, sed enim sapientes, & orationum scriptores & rhetores, qui & populi ductores erant. Principes aut, tanquam & ipsi temporarij sint, seculi huius nominat, qui abolerantur, hoc est, qui cessent tandem.

Fideles perfecti.

Rhetores populi ductores.

Mysterium Christi prædicatio.

SED loquimur sapientiam Dei in mysterio quæ abscondita est.] Mysterium uocat, de Christo prædicationem. Nam etiam si prædicatio sit, attamen etiam mysterium est, quatenus neq; angeli nouerunt ipsum priusquam fieret, & quemadmodum aliud uidentes, aliud intelligimus. Intueor enim crucem & afflictionem, & uirtutem atque potentiam intelligo: seruum audio, & Dominum adoro. Abdita est enim sapientia, infidelibus quidem omnino, fidelibus autem non omnino. Videmus enim nunc per speculum.

QUAM prædestinauit Deus ante secula in gloriã nostrã.] Præfinitum siue prædestinatum, dixit, ut Dei charitatẽ erga nos indicet. Nã & illi maxima nos dilectione prosequi existimantur, qui iam olim ante multa tẽpora parati fuerunt nobis benefacere. Hæc ad rationem Deus ante secula statuit ac decreuit salutem per crucem, quæ est maxima sapientia. In gloriã uero nostrã dixit, quatenus nos gloriæ participes fecit. Gloriã aut serui est, participem esse Domini in abdito mysterio.

QUAM nemo principum huius seculi cognouit.] Principes huius seculi Herodem & Pilatum intelliges, qui mysterium hoc non nouerunt: in super & principes adeoq; p̄tiffices Iudæorum, qui & ipsi non cognouerunt.

Gloria crucis.

SI enim cognouissent, haudquaquã Dominum gloriæ crucifixissent.] Si nouissent, inquit, quod possit lucere crux, quodq; terrarum orbis salus inde penderet, quin etiã si pontifices præsciissent urbem suam diruendam, seq; abducendos, non crucifixissent Dominum. Gloriæ autem Dominum hic nominauit Christum, quando quidem enim crux incelebritas quædam uideretur, ostendit quod nihil gloriæ ei per crucem est ablatum, sed potius glorificatus est, ueluti ex hoc humanæ salutis studiosus demonstratus. Nonne igitur si ignorarunt, peccatum ipsis dimissum oportuit: Omnino, si posthac ad Christum accessissent, animi sui sententiam in melius permuantes, dimissa fuissent eis peccata, quemadmodum & Paulo, & alijs Hebræis est donata noxa.

Esai. 64.

SED quemadmodum scriptum est: Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nõ ascenderunt, quæ præparauit Deus diligētibus se.] Quid uero præparauit diligētibus se? Christi

A Christi cognitionem, ac salutem per incarnationē partam. Hæc enim neque humanus oculus uidit, neque auris humana audiuit, neque cor hominis cogitauit. Prophetæ enim non humanis oculis uiderunt, neque humanis auribus audiuerunt, neque humano intellectu usi intellexerunt quæ Christi essent. Sed omnia diuina erant eis. Dominus enim, inquit, apposuit mihi aurem, spiritualement uidelicet, & alia id genus. Diligentes Deum, sunt fideles. Vbi autem scriptum est hoc oraculum: Verisimile est hisce ipsum uerbis alicubi scribi, hodieque non inueniri librum. Fortasse autem quemadmodum & sapientissimus Paulus explicat, cum eo loco hæc sententia conuenit, ubi dicitur: Quibus non annunciatum est de eo, uidebunt: & qui non au-

Propheta diuinitus instructi de Christo. Prouerb. 20.

Esaiæ 52.

NOBIS autem reuelauit Deus per spiritum suum.] Perinde ac si quis dicat, Si in cor hominis non ascendit, quomodo uos didicistis? subdit, Deus reuelauit nobis per spiritum, non per humanā sapientiā. Ipsa enim nō potuit, neq; digna fuit uidere, adeoq; agnoscere tāta mysteria.

SPIRITVS enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominū scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.] Tantum mysterium adeo, inquit, fuit abditum, ut non potuerimus ab alio discere, nisi spiritus nos docuisset, qui profunditates Dei nouit. Nam quod ait, scrutatur, non est indicium ignorantia, cæterum exacta comprehensionis: quemadmodum & de patre dictum est, scrutans corda, id est, profunda eorum perspecta tenens: atq; item aliter, ceu oblectans sese contemplatione Dei, ea scrutari quæ Dei sunt, spiritus dicitur. Ostendit porro per sequentia, exactam spiritus cognitionē. Vt enim humanus spiritus nouit quæ sunt in homine: sic & spiritus Dei, quæ sunt Dei. Hinc discimus etiā, quod spiritus alterius nō sit quàm pater essentia, perinde ac neq; spiritus hominis diuersa est seu alterius ab eo essentia.

Psal. 7.

Hier. 17.

1. Para. 28.

Rom. 8.

NOS autem non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui est ex Deo.] Spiritum mundi, humanā sapientiā nominauit, non hanc quam accepimus, ut ne uana & inutilis demonstraretur prædicatio nostra: sed spiritum qui ex Deo est, hoc est, coessentialē cum Deo, qui est ex ipsius essentia, hunc nasci sumus habuimusq; doctorem & præceptorem.

VT sciamus quæ sint à Deo donata nobis.] Lumen, inquit, est spiritus, atq; eam lucem accepimus, ut iam olim abscondita uideamus, ab ea uidelicet illustrati. Quæ nam sunt illa? quæ à Deo donata sint, hoc est, quæ ad Christi dispensationem attinent, quomodo pro nobis mortem obierit, quomodo nos filios Dei fecerit, quomodo nos à dextris patris collocarit in seipso, ut qui hunc spiritum non habuerint, haudquaquam ista uideant.

† Iva. 1. 2. ut uideamus

QVAE & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritus sancti.] Tanto, inquit, Græcorum sapientibus sapientiores sumus, quanto illi quidem ab hominibus instituti sunt: nos uero quæ loquimur, à spiritu sancto docti loquimur.

SPIRITUALIBVS spiritualia comparantes.] Hoc est, si prodierint spirituales quædam quæstiones, conferimus eas, hoc est, diluimus per alios spirituales intellectus uel historias: ueluti quæstio est quod Christus resurrexerit: quæ cum spiritualis sit, ex alia spiritali nimirum Ionæ historia comparatur, & diluitur. Sic quæstio est quod uirgo pepererit: quæ itidē diluitur per Sarrhæ sterilitatem, per Rebeckæ item & Elisabethæ emortuas matrices: quæ profecto nō ex naturali consecutione, quatenus ad cuiuslibet matricis uim attinet, conceperunt. Tum ex eo quod Heua ex Adam citra semen sit progenita, exq; alijs, quæ ex prima sua productione ad suum esse, considerantur. Porro istud: Spiritualibus spiritualia comparantes, poteris etiam sic intelligere: Spiritualibus uidelicet hominibus spiritualia comparantes & explicâtes. Hi enim soli ista capere queunt. Infert igitur.

Ionæ 2.

Matth. 1.

Gen. 11.

Gen. 25.

Luc. 1.

Gen. 2.

13. 12. Jul. 1727.

ANIMALIS autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim ipsi sunt.] Animalis homo est, qui omnia animæ lux cogitationibus & ratiocinationibus tribuit: neque se se indigere censet sapientiā, quæ desuper cordi nostro ex cælis illabitur: qui neque fide quicquam accipere uult: cæterum omnia stultitiā arbitratur, quæ demonstrationem non admittunt. Cuncta igitur naturali quadam consecutione fieri existimantem, neque quicquam supra naturam effici iudicantem, animale hominem uocat, hoc est naturalem. Anima enim circa naturæ gubernationem & œconomiam uersatur.

Animalis homo.

NEC scire potest quod spiritualiter dijudicantur.] Hoc est, non intelligit quod fide egeant quæ dicuntur, nec ratione comprehendi possint. Id enim est, spiritualiter dijudicantur, hoc est, per fidem & spiritum demonstrationem habent.

SPIRITUALIS uero dijudicat quidem omnia, & ipse à nemine dijudicatur.] Spiritualis, inquit, omnia nouit, cum quæ hic sunt, quod sint caduca & fluxa: tum quæ illic, quod sint stabilia: & quæ sua sunt, quod salutem cōsequetur: & quæ infidelium, quod pœna adficiuntur. Propterea & reprehendit eos, cum ipse interim à nemine horum dijudicetur, hoc est, arguatur: quemadmodum qui uidet, & sua uidet, & ea quæ sunt eorum qui non uident. Isti uero neque quæ sua sunt, neque quæ illius sunt cernunt.

Spiritualis homo.

QVIS enim nouit mentē Domini, qui erudiat ipsam?] Spiritualement, mentē Domini nominat. *quibusdā autē est pro diriget, corriget.* Quia ergo supra dixit, Spiritualis à nemine dijudicatur: subdit nūc quod isthuc nō immeritō dixerit. Quis enim nouit mentē Domini, qui sit instructurus ipsam, mentē in quā, hoc est diriget siue corriget? Si enim nemo potest nouisse mentem Domini,

Esai. 40.

Domini,

Domini, hoc est eam quam habet spiritualis, multo minus docere illam poterit, & corrigere. **C**
NOS autem mentem Domini habemus.] Ne mireris, inquit, quod dixi mentem Domini ipsam spiritualem, & mentem ipsius. Nos enim omnes mentem Domini habemus, hoc est, omnia quaecumque scimus, Christus nobis reuelauit. Et quam mentem seu intellectum habemus de diuinis rebus, Christi est: hoc est, notitia quam habemus de rebus fidei, spiritualem & Christi habemus: itaque haud iniuria à nemine dijudicamur. Nonnulli mentem Christi patrem, alij spiritum nominarunt.

CAPVT III.

ET ego fratres non potui uobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus.] Ne possint, deiecto ipsorum de humana adeoque externa sapientia fastu, dicere, Nos eius sapientiae nomine haud sanè turgemus, sed propter spiritualement: nunc ostendit eos neque in nostra sapientia perfectos, sed imperfectos adhuc esse, inquiens: Quoniam nondum quicquam perfectiorum rerum audistis. Pulchrè autè dixit, Non potui, ut ne uideatur ex inuidia ipsis perfectiora comunicare nolle. Quia enim carnales estis, non potui uobis uerba facere ceu perfectis. Qui uerò, cum carnales essent, signa faciebant: fuerunt & tales, & tales, ut principio commemoratum.

Signa cur etiam per indignos exhibeantur.

Alioqui licet & signa edere, & carnales esse, quæadmodum qui dæmonia in Christi nomine eiecerunt. signa enim ad aliorum commoditatem eduntur: ob eam rem & per indignos exhibentur. **T**ANQUAM infantibus in Christo, lacte uos potaui, & non cibo. Nondum enim poteratis, sed neque nunc quidè potestis. adhuc enim carnales estis.] In reb. Christi (inquit) infantes estis: propterea lacte, hoc est simpliciore doctrina, uos potaui, nec solidum uobis cibum obtuli, hoc est, doctrinam perfectiorem. Quare? Propterea quod non poteratis. Detrahens autem illorum supercilium, ait: Neque nunc quidem potestis. adhuc enim quæ carnis sunt affectatis. Viden' ob eam causam illos non posse capere, quod spirituales esse nolint, sed carnales?

Emulatio, contentionis pater.

CVM enim inter uos sint zelus & contentio, & dissensiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?] Quæ prædixit, omnia ad principes sapientia generisque splendore tumidos dixit: nunc autem deinceps ad subditos sermonem conuertit. Non immeritò (inquit) uos carnales nomino. Siquidem cum in uobis sit æmulatio & contentio & factiones. Potuisset quidem eos & fornicationis aliorumque uitiorum nomine accusare, cæterum quia uehementer urgebant dissensiones siue factiones & contentiones, harum mentionem fecit. Vbiq; autem zelum siue æmulationem liti seu disceptationi coniungit. Zelus enim pater est contentionis, hæc porrò factiones generat. Hæc cum sint inter uos, nonne secundum hominem ambulatis? hoc est, nonne carnalia & humana ac terrestria sapitis?

CVM enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego uerò Apollo, nonne carnales estis?] Pauli & Apollo nomine, celebres apud eos & doctores subindicat.

Euangelista. Diaconus.

QUIS igitur est Paulus, quis Apollo, nisi ministri per quos credidistis?] Suo & Apollo nomine, quod uult perficit. Cõfirmat enim: Si nos nihil sumus, quid dixerit aliquis de uestris doctoribus? Ministri, inquit, sumus, non radix & fons bonorum. id enim solus Christus est. Proinde nos non erigere cristas, non superbire conuenit. Nam ministrauimus uobis ea quæ à Deo accepimus. illius enim bonorum præbitoris est totum quod uobis communicauimus. Nec dixit, Euangelista sumus, sed ministri: illud enim uerbi solius est: ministrare autè, opera etiã continet.

VNICUIQUE ut Dominus dedit.] Ne ipsum quidem exiguum ministerij, à nobis ipsis habemus, uerum isthuc etiam à Domino accepimus, alius alia mensura.

EGO plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.] Ego, inquit, primus uerbum Euangelij disseminaui, Apollo autem continua sua institutione non permisit semen exarescere æstu satanæ tentationum: at uerò Deus uobis dedit incrementum, uos augmentauit.

ITAQUE neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat.] Obserua quomodo minimè inuisam seu molestam faciat qui Corinthi sunt præceptorum sapientum & opulentorum contempionem, seu in nihilum reductionem, seipsum & Apollo in speciem extenuans, ac docens quod soli Deo sit attendendum, eiq; omnia quæ contingunt bona, accepta referenda.

QUI autem plantat & qui rigat unum sunt.] Quatenus citra Deum nihil possunt, unum sunt: uomodo ergo efferimini alius erga alium, cum unum sitis?

VNVS QVISQUE autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.] Quia uerisimile erat, eos qui in fidei rebus multum laborauerant, segniore futuros cum audirent omnes esse unum: statim isthuc corrigit, dicens: Vnum sunt, quatenus citra augmentantem Deum nihil possint. Nam quatenus ad retributionem attinet, quisque iuxta proprium laborem mercedem habebit. Non dixit autem, secundum proprium opus, sed secundum laborè. Quid enim si opus quidem non perfecerit, laborauerit autem?

Dei cooperarij apostoli.

DEI enim sumus cooperatores.] Qui docemus, inquit, Dei sumus cooperatores, ad scopum & propositum Dei seruare uolentis cooperantes, non ipsi nos sumus salutis uel autores uel datores. Neque igitur contemnendi, Dei enim sumus cooperatores. Neque ideo nos attolli superbè oportet, quod Dei sumus cooperarij: nam Dei est uniuersum.

DEI agricultura, Dei ædificatio estis.] Cum supra dixisset, plantaui, eodem in tropo perseuerat, agriculturam nominans. Quod si igitur agricultura estis & ædificatio, à Domino uocari debetis, non ab agricolis aut extructoribus, fabris ue. Quatenus enim agricolatio estis, una concordia

A cordiæ sepi ceu muro firmari debetis. Quatenus uerò ædificatio, uniri debetis, sed nõ diuelli. **SECUNDVM** gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentũ posui.] Sapiensem se ipse architectona appellat, non quòd seipsum extollat, sed uti commonstret eas esse partes sapientis architecti, tale fundamentum iacere, nimirum Christum. Quòd uerò non ut sese attolleret, hæc dixerit, inde planum est. Dicit enim, secundum siue iuxta gratiam Dei: non enim meum est opus, sapientem fuisse, sed Dei gratia est.

ALIVS autem superædificat. Vnusquisque autem uideat quomodo superædificet.] Postquam de unitate eis differuit, in posterum de uita moribusq; disputat, superædificationem sua cuiusque opera nominans.

FVNDAMENTVM enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positũ est, quod est Iesus Christus.] Non potest, tantisper dum manserit sapiens architecton. Nam si fuerit insipiens architecton, potest quidem fundamentum iacere, sed ex quo hærefes prodeant. At cum inter uos Corinthios fundamentũ unũ sit Christus, debetis & ipsi uos super hunc ædificare, nõ quæ ex contentione & æmulatione sunt, sed uirtutis potius opera.

SIN quis aut superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscuiusq; opus manifestum erit.] Vbi acceperimus fundamentum fidei, superstruimus unusquisque, alij quidem bona opera, quæ inter sese disseparata sunt. Alia nanq; sunt maiora, alia maiora, alia minora. Nempe uirginitatẽ, ceu aurum: honestas nuptias, uelut argentum: ultroneam paupertatem, ceu lapides preciosos: eleemosynarum distributionem ex opibus, tanquam aliud quiddam ex non adeo preciosis. Alij autem praua opera superstruimus, quæ & ipsa suis gradibus interstincta, ut fœno & stipulæ adæquentur, quæ sanè facilius comburuntur: ut impuritatem, idololatriam, auaritiam. Ligna uerò uocatur, quæ non adeo faciliè comburuntur, ut ebrietas, risus, idq; genus alia. Forfan nonnulli è contrario ligna præmemorata, fœnum uerò & stipulam hæc posteriora dicent.

Operum bonorum alia maiora, alia minora: Malorum operum gradus.

DIES enim declarabit, quoniam in igne reuelatur, & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.] Diem iudicij intelligit. In igne autem opera dicuntur reuelari, hoc est manifesta fieri, qualis nam sint naturæ, num aurum, uel diuersum sint.

SI cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur.] Si uel aurum uel argentum habueris, permanebit omnino opus tuum, accipiesq; mercedem. Sin fœnum & huiusmodi, non feret ignis impetũ opus tuum. hoc enim est quod ait comburetur, hoc est, conuincetur malum esse. Itaque non prodest fides sine operibus bonis. Ecce enim hic fundamentum est Christus, sed enim opera quæ Christum non respiciunt, digna dicuntur quæ exurantur.

IPSE autem seruabitur, sic tamen quasi per ignem.] Non quemadmodum opera, sic & ipse peribit, ita ut in nihilum secedat uel euanescat, sed seruabitur, hoc est, incolumis cõseruabitur, ita ut in igne comburatur. Etenim nobis consuetudo est sic dicere de ligno quod non comburitur, quòd q; non possit faciliè in cinerem redigi, quòd in igne seruatur, ita ut diuturnior fiat ultio. Damno itaque adficitur peccator, quandoquidem ea est operatus per quæ perijt, omnes labores nequicquam impendens in res non subsistentes, & eas quæ non sint (omnis enim malitia & omne scelus, non est:) ueluti si quis ingens præcium impendens, emat quicquam mortuum tanquam uiuum. Seruatur quidem huiusmodi peccator, uidelicet saluus, & integer cõseruatur, æternas pœnas sustinens.

Peccatum nõ esse dicitur.

NESCITIS quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis:] Sermonem de eo qui fornicatus erat, iniecturus est. Et uide quàm sit uerecundè usus oratione. A data enim nobis gratia, hoc est, ab inhabitatione spiritus, pudescit fornicatorem, etiam si non palam personam posuerit, sed in commune loquatur. Si autem templum Dei sumus, postquam spiritus habitat in nobis, igitur ipse spiritus est Deus.

SI quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus.] Id est, perdet. Hoc uerò non est execrantis, sed quid nam futurum sit uaticinantis.

TEMPLVM enim Dei sanctum est, quod estis uos.] Proinde fornicator non potest esse sanctus, postquam amisit quòd sit templum Dei, expulso sanctificante ipsum spiritu. Quis uerò templum est? Vos, inquit, si puri perseueretis.

NEMO seipsum seducat.] Existimans quòd aliter res habeat quàm dixi.

SI quis uidetur inter uos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.] Paucis de fornicatore ueluti per umbram adductis, rursus in eos qui externa sapientia inflantur, sermonem flectit. Qui, inquit, uidetur sapiens esse inter uos, stultus fiat: hoc est, externam sapientiam reprobet, ut possideat diuinam. Quemadmodum paupertas in Deo & secundum Deum, diuitiæ sunt, & incelebritas similiter gloria est: hunc ad modum stultitia secundum Deum, sapientia est. Animaduerte: hic non dixit, Reijciat sapiẽtiam, sed quòd multo maius est, stultus fiat, hoc est, nihil à seipso intelligens, non proprijs cogitationibus uel argumentis fidem adhibens: enim uerò Deum, ut iumentum pastorem, sequens, omnibusq; diuinis rebus credens.

SAPIENTIA enim huius mundi, est stultitia apud Deum.] Non solùm enim nihil prodest aut conducit ad ueram sapientiam, uerum etiam potius impedit: quippe quæ præ sui existimatione & fastu dedignetur, discere, atque propterea nunquã non in ignorantia perdurare, esseq;

Sapientia mundi di. Stultitia.

faciat eum qui ipsa utatur. Vnde & fatuorum instar à Deo pessum deturbantur.

Iob 5. **S**CRIPTVM est enim: Qui apprehendit sapientes in astutia eorū. Testimoniū producit quomodo stultitia sit apud Deū humana sapientia, aitq;: Tanquā stultos apprehēdit sapientes Deus. Etiāsi enim astuti & sapientes fuerint, tanquā stulti tamē & insipientes arguuntur. Arbitrantur illi nulla se re indigere, sed omnia per se posse intelligere se. At Deus monstrauit illis per res ipsas, quōd dicendi uehementia & astutia nihil illis profuerit, sed maximē diuino auxilio habeāt opus, cū tamē nihil indigere uiderētur. Itaq; in calliditate sua, quæ putabāt se omnia nouisse, nihil scire inuēti sunt, piscatorib; & coriarijs in reb; necessarijs rudiores agrestioresq;.

Psal. 93. **E**T rursus: Dominus nouit cogitatiōes sapientū, quod uanæ sint. Si igitur Dominus nouit quōd uanæ sunt cogitatiōes, quippe quæ nihil necessariorū & salutariū cōtineāt: quō igitur uos Corinthij cōtraria Deo decernitis, ac tanquā ualde cōmodas cogitationes uestras defenditis?

ITA QVE nemo gloriatur in hominibus. Omnia enim uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas. Hęc uidetur ad subditos quidē dicere, terret autē principes inquiens: Nō oportet uos omnino gloriari, neq; in sapientia, stultitia enim est: neq; ob spiritualia dona, Dei enim sunt, ac propter subditos hęc donantur. Atq; hoc est quod ait, Omnia enim uestra sunt, hoc est, quid doctores uestri superbiunt, uos autē inflatis eos, & erigitis, adeoq; attollitis: Neq; enim propriū aliquid habent, sed uestra sunt quæ illi habent, ob uestram commoditatem data ipsis. Rursus autem sui ipsius meminit & Petri, ut minus esset molestus, ac inuidiam subterfugeret, utq; ostendat, quōd si nos uestri causa acceperimus charismata, ac uestri causa nos doctores designati sumus & producti: quanto potius qui nunc sunt doctores uestri, non debent ceu proprijs uirtutibus & operibus ob charismata extolli, quippe quæ aliena bona sint?

Adami mors propter nos. Christi mors propter nos. **S**I VE mūdus, siue uita, siue mors, siue presentia, siue futura. Vita, inquit, doctorū propter uos est, ut uobis cōmodent, dū institui mini ab eis: morsq; ipsorū est propter uos. propter uos enim uestrāq; salutē pericula subeūt. Vel aliter: Adami etiā mors propter uos est, ut erudiamini, ac modestiores reddamini: Christi quoq; mors, ut seruemini: ac simpliciter uniuersus mūdus propter uos, ut qui per ipsum ad autorē & conditorē ducamini. Vtemini porrō corruptio ne mūdi, doctoris uice, quō incorruptibiliū rerū amore accēdamini. Præsentia sunt etiā ppter uos, hoc est, bona quæ inde iā donat credētibus Deus: futura uestri causa pariter sunt parata.

OMNIA uestra sunt, uos autē Christi, Christus autē Dei. Non quemadmodū nos Christi sumus, sic & Christus Dei. Nos enim Christi sumus uelut opus eius & figmentū: Christus autem Dei, tanquā filius ante secula genitus & æternus, ac ueluti causam & autorē habēs patrē. Quare etiāsi una dictio, diuersa tamē est sententia. Quandoquidē neq; omnia sic sunt nostra, ut nos Christi. Nos etenim serui sumus Christi & figmentū: omnia autē nō sunt serua nostra, neque figmentum. Quocirca non rectē facitis, hominibus uos ipsos attribuentes, cum sitis Christi.

CAPVT IIII.

Verbum Dei no temere spargendum, nec mysteria. **S**I C nos existimet homo, ut ministros Christi & dispēsatores mysteriorū Dei. Quia ministri sumus doctores, ecquid dimisso Domino à nobis ministris appellamini? Dispēsatores autē mysteriorū nominās apostolos ac doctores, mōstrauit quōd nō citra dispensationē oporteat cūctis uerbū suppeditare, sed quibus opus est, & quādo cōuenit, & ut oportet. Præsertim uerō mysteria ipsa, nō debent quibusuis reuelari: hoc enim nō est prudentis æconomi.

QUOD reliquū est, queritur in dispēsatoribus, ut fidus quispiā inueniatur. Hoc est, ut herilia bona sibi nō uendiceret & attribuat: ut nō ueluti dominus res tractet adoriatur ue, sed ueluti aliena & herilia dispēset: nō sua dicens esse quæ sunt heri, sed è diuerso, quæ sua sunt, heri esse.

MIHI autē pro minimo est ut à uobis dijudicer, aut ab humano die. Peculiaris Corinthum morbus inuaserat, nempe quōd iudices nōnulli erga doctores diuisi sedebāt, dicentes: Is hoc est melior, ille hoc facundior. Cū ergo dixisset diuus Paulus in dispēsatoribus inquiri fidē, uel ut fidus quispiam inueniatur, ac uideretur accessum ipsis dare cuiuslibet uitā iudicandi, quæ res maiores dissensionem excitasset: ut ne hoc patientur, refrenat eos, & auocat à iudicando, inquit: Mihi uerō pro minimo est: perinde ac si dicat, ueluti indignissimū aut ualde ignominiosum ducō me omnino à uobis iudicari. Deinde ne illos offendat quasi contemptos, apposuit, Aut ab humano die, hoc est, ab alio quopiam homine celebri & præclaro. Diem enim hominis scriptura altitudinem consueuit nominare. Hęc autem non de se ipso uerē dicit, non enim ipsum prorsus iudicabant: sed ut ne alios iudicent, in propria persona, quod uult, corrigit.

SED neq; me ipsum dijudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum. Qui autem me dijudicat, Dominus est. Ne existimetis, inquit, quōd uilipendens uos alios uecunctos, dedigner iudicari: nam neq; me ipsum sufficere censeo ad huiusmodi exactum iudiciam. Nec iam conscius sum mihi alicuius lapsus: uerantamen in hoc non iustificatus sum, hoc est, non sum purus à peccato. Verisimile namque est me peccata quæpiam admisisse, me tamē ignorare ea: Dominus autem solus est qui infallibiliter exacteq; iudicat. Hinc mihi iam reputa, quā futurū iudicij exacta erit cognitio, indagatioq;.

Iudicij futuri seueritas. **I**TA QVE ne ante tempus quicquam iudicetis, quoad usq; ueniat Dominus. Viden propterea hęc Paulum dixisse, ut ne alij à Corinthijs iudicentur, non propter seipsum: Ita nanque diuus Paulus perpetuō solet quæ alterius sunt, in propriam transferre personam: inq; seipso docere, quod alios est docturus.

A QVI & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.] Nunc quidem absconduntur praua opera, sunt enim isthæc mundi abscondita: sæpenumeroq; quispiã uirtute esse præditus apparet, cum sit prophanus & corruptus. Tum autem Deus reuelabit omnia, imò & cordium consilia in lucem proferet. Exempli gratia: In hac terra quisquam præconijs quenquam uehit. en rem bonã, sed sententia fortasse istius aberrauit: nam non bono fortè isthuc scopo agit. Rursus, reprehendit hic quempiam aliquis, at non in eum finem, ut corrigat, & ad uirtutem reuocet, sed ut traducat & patefaciat fratris peccatum. Atq; huiusmodi innumera tum cordium consilia retègentur.

TUNC unicuique laus erit à Deo.] Consequens erat uel pœna uel laus: cæterum ad præstabilis sermonem transtulit.

HÆC autem fratres mei transtuli in me & Apollo propter uos, ut discatis in nobis non supra id quod scriptum est, sapere.] Hæc sunt quæ suprã dicta sunt de dissensionibus, & quæ deinceps de non iudicando alios commemorata, ut, inquit, per nostram personam discatis nõ sapere ultra quàm scriptum est. Dicit enim scriptura, docens ut non extollamur, Qui uult esse primus, sit inter uos postremus. & Qui se ipse humiliat, exaltabitur: idq; genus alia innumera. De eo uerò ut alios non iudicemus, Nolite iudicare, ut ne iudicemini.

Matt. 20. & 23.

VT ne alter aduersus alterum inflemini de alio.] Isthuc ad populum dicit. Doctrinam enim uariat, & aliàs quidem ad principes ac doctores, aliàs uerò ad discipulos sermonem uertit, perinde ac iam nunc. Etenim doctorum nomine inflabantur. Exempli gratia: Qui hunc doctorem habebat, aduersus alterius doctorem ualde superbiebat, eumq; floccipendebat, ob suum doctorem aduersus alterius doctorem præceptorem ue inflatus. Pulchrè autè rem ipsam inflatio nẽ nominauit, ueluti tuber ac tumorè, à tralatione corporis, à malis humorib. uëtis ue inflati.

QVIS enim te dijudicat? aut quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris tanquã non acceperis? Rursus ad doctores sese conuertit, inquiring: Quis te dijudicauit, aut dignum censuit ut laudaret? Homo? Atqui fallax est humanum iudicium. Esto autem quicquam te laude dignum habere: tuum tamen istuc non est, sed eius qui dedit: accepistiq; il lud, non tuis operibus meritis. Quòd si accepisti, quid deinceps efferris tanquam non acceperis, sed ex proprijs laboribus per te habueris? Qui enim accepit quicquam, eum non oportet efferris ob id quod acceperit. alienum enim hoc est.

IAM saturati estis, iam diuites facti estis.] Grauiter ferentis sunt hæc uerba. Adeò ne citò, inquit, nullius indigetis: nulla planè re habetis opus: sed saturati estis, & exiguo temporis spacio ad consummationem euasistis, omnibus diuinæ cognitionis & charismatum opibus acceptis. Atqui finis & perfectio est in futuro: uos uerò iam nunc finem nacti, ipsum ut uideatur, tenetis. Gloriatio nanq; uestra isthuc indicat, quòd ad ipsam consummationem perueneritis. Hæc autem dicit, monstrans eos omnium esse imperfectissimos, si ad hunc modum sese habeant.

SINE nobis regnatis.] Istud quoq; eodem affectu dicit, ipsorum ingratitude, & mentem conscientia expertem indicans. Cum enim tot tantisq; donis donati perfusiq; sitis, non uultis, inquit, nos uobis consortes, qui tamen laborauimus, accipere.

AT QVE utinam regnetis, ut & nos uobiscum regnemus.] Vtinã, inquit, regnetis, hoc est, perfectionem essetis nacti. Ne uerò sermo ironicus esse uideatur, subinfert, Vt & nos uobiscum regnemus, hoc est, eadem bona consequamur. Vestra enim gloria, mea est: quandoquidem cui uis præceptori discipulorum perfectio desiderabilis est.

Præceptori discipuli perfectio optabilis.

PUTO enim quòd Deus nos Apostolos extremos ostendit tanquam morti destinatos.] Contristati, uel potius pudorem inducentis uerba sunt. Vt enim uideo, inquit, & his quæ uos agitis, nos Apostoli omnium postremi, à Deo demonstrati fumus morti obnoxij: hoc est, condemnati, atq; ut occidamur præparati. Quia uerò uos iam regnatis, hinc colligo coniectura, quòd nos iam sumus condemnati ut sumus postremi, ac ueluti ultimò supplicio addicti: nos, inquam, tot tantaq; pro Christo passi Apostoli.

QVONIAM spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.] Hoc est, non in uno quopiam angulo patimur, sed ubique terrarum: spectantq; nos, & intuentur in nos, nedũ homines. non enim adeò uiles sunt res operationesq; nostræ, uerumetiam angeli. Ingentia enim nostra dona sunt, ut & angelico spectaculo, spirituũm ue cælestium inspectioe digna sint. Nam non aduersum homines tantummodo luctor, cæterum aduersus etiam prauorum angelorum uires, adeoq; potentiam.

Eph. 6.

NOS stulti propter Christum, uos autè prudentes in Christo.] Rursus & hoc cum pudore quopiam, & redargutione dictum est. Cum enim cæderentur Apostoli, contènerenturq; propter Christum, illi uerò in precio honoreq; essent, ac sapientes putarentur, atq; hæc in Christo esse iactarent: quomodo, inquit, fieri potest, ut contraria conueniant contingantq; in eadè sententibus? Proinde necesse est aut nos non sapere secundum Christum, aut uos. Atqui indignum est Christi Apostolos non sapere secundum Christum, uos igitur erratis.

NOS infirmi, uos autem fortes: uos nobiles, nos autem ignobiles.] Hoc est, nos agimur, persecutionem patimur, uos uerò summa securitate fruimini. Infirmitatem enim, passim tentationes uocat. Vos, inquit, celebres quidem estis & ingenui, nos uerò in glorij, nulliusq; momenti. Cuncta uerò hæc exacerbatus loquitur. Est nanq; huiusmodi sententia: Qui par est nos

Infirmitas.

Theophylact.

M 2 affligi,

affligi, persecutionibusq; obnoxios esse, uos uero securitate perfrui, adeoq; letos dies transigere. Quare perspicuum est, non esse uos in bono statu, quippe qui nunc uos plane male & indignè Apostolis geratis. Non debetis igitur eam ob rem erigere cristas.

IN hanc usque horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Quid, inquit, uetera recedite? quæ in præsentia geruntur, uide: quomodo uos in medijs delicijs agitis, nos autem omnino diuersum patimur.

ET colaphis cædimur. Hoc est, uerberamur. isthuc autem ad inflatos dicit.

ET instabiles sumus. Hoc est, agitamur, & ad fugam compellimur, siue exulamur. Id uero ad opulentos pertinet.

ET laboramus, proprijs manibus operantes. Hæc dicit rabore suffundens eos qui lucri gratia quæstusq; conantur audentq; concionari.

DVM maledicimur, benedicimus: dum persecutione patimur, sustinemus: dum blasphema mur, obsecramus. Et quod maius est his omnibus, non ægro ferimus ista animo. Unde uero hoc patescit? Inde sanè, quod eos qui nobis malè faciunt, bonis excipiamus, pro malis bona pefantes. Laudamus enim eos, & bene eis precamur, qui conuicia in nos iactant, & eos qui contumeliosius erga nos feruntur, uel maiore nos iniuria adficiunt (blasphemia enim est asperior iniuria) illos inquam obsecramus siue adhortamur, hoc est, mansuetioribus & mollioribus eis uerbis occurrimus, eosq; excipimus. Hæc enim est *παράκλησις*, id est obsecratio, siue adhortatio mansuetos reddens, cicutasq; oratio. Propterea Christiani uidentur stulti, quandoquidè hæc faciunt.

Blasphemia.
παράκλησις
παράκλησις.

TANQVAM purgamenta mundi facti sumus, omnium peripsema hucusq;. Ecquid est *περίψημα*, purgamentum? Sordes quæ spongia abstergitur. Quando enim sordidum quid abstergitur, purgamenta dicuntur sordes illæ, quæ absterguntur. Peripsema idem significat. Circumradere enim quod græcè *περίψω*, est ueluti spongia abstergere. Ait ergo, Nos abiectioe sumus digni, ac ueluti abominationi habendi non solis Corinthijs, uerumetiam mundo & cunctis mortalibus: nec uno duntaxat tempore, sed ad hanc usq; horam. Obserua hinc qualem esse oporteat Christianum, quippe talem, quem ad usq; finem certare sit operæ precium.

Peripsema.

Christiano perpetuo certandū.

NON ut uos pudefaciã, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nō rubore uos suffundendo, hæc scribens: neq; praua & odiosa hæc mente dico, cæterum ut filios: nec simpliciter filios, sed dilectos, non increpo, sed moneo. Ecquis uero non sustineat admonentem patrem?

NAM si decem milia pædagogorū habeatis in Christo, sed non multos patres. Quid igitur alij non diligunt nos? Non eam, inquit, ad rationem qua ego: illi nanq; pædagogi sunt, ego uero pater. Quemadmodū igitur in pueris fieri solet, ut sit pater unus, pædagogi uero multi fortasse: ad unius autem amorem, patris nimirū, si conferantur, multum distat eorum adfectio: sic & nobiscum sit. Animaduerte hinc quomodo in Christo apposuerit pædagogis, ut ne omnino eos feriat & offēdat. Verum quod plus laboris habet, eis adiecit: id enim est pædagogum esse, multis laboribus esse occupatum. Charitatis autem excessum sibi ipse conferuauit.

IN Christo enim Iesu per Euangeliū uos genui. Confirmat quō pater sit. Christi, inquit, ope uos genui per Euangeliū. Non enim mihi ipsi, ut pleriq; inter uos, adscribo imputo uere, sed Christo. Non dixit aut, docui, sed genui: naturæ uidelicet nomine dilectione ostendens, quodq; proprij ualde, maximeq; genuini isti discipuli sui sint, ut ubiq; in epistola ea docet, ac planū facit.

ADHORTOR itaque uos, imitatores mei estote. Imitamini, inquit, me in omnibus: nec sapientiæ uel diuitiarum nomine efferamini, neque cum fratribus disideatis: uerum eas tantum opes, eam esse ueram sapientiam noueritis, charitatem nimirum erga Christum & fratres. Obserua autem dilectionis adfectum. Adhortatur enim, non imperat. Magnæ autem fiducia argumentum est, quod sese exemplar quod imitentur, proponat.

† *παράκλησις*,
id est, rogatus uel
hortatur.

IDEO misi uobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis. Quandoquidè uestri curā gero, nō secus ac filiorū, misi uobis Timotheū. Ipse quidè uenire uolui, ut uos componerem, & in concordia redigerem: quia uero isthuc fieri haud potuit, misi uobis istum, qui est filius meus dilectus. Hoc aut dixit, ut partim in ostret quanta eos charitate prosequatur, siquidem à Timotheo segregari sustinuerit propter ipsos: partim ut & ueneratione dignus eis reddatur.

IN Domino. Hoc est, non in temporarijs rebus fidelis, sed in ijs quæ ad Dominum pertinent. Itaq; & in ijs quæ ad uos pertinent, fidelem se ministrum præstabit.

QUI uobis ad memoriam reuocabit uias meas, quæ sunt in Christo, quemadmodum ubiq; in omni ecclesia doceo. Non dixit, docebit, ut ne ægrè ferant. Iuuenis enim erat Timotheus, sed ad memoriam reuocabit: quæ iam antea nouistis, renouabit in uobis. Vias autem dicit, prædicationis uerbi dispensationem & formulas, regulas & consuetudines, ac leges diuinas, quānam ratione uidelicet obambulem, quod non inflatus ut uos, neque hæreses inducens & schismata. Quæ sunt in Christo dixit, hoc est, nihil humani habentes, sed omnia secundū Christum, uel quæ perficiuntur Christi auxilio. Submonstrabit autem uobis, quomodo in omni ecclesia doceam. Nihil enim noui dixi uobis, sed istorum omnes mihi sunt conscij. Itaque pudeat uos quod præter cæteras ecclesias à uijs meis desciiuistis aberrastis ue.

TANQVAM non uenturus sim ad uos, sic inflati sunt quidam. Cum dixisset, Misi uobis Timotheum, ne segniore redderentur, subdit: Etiam si nunc non ueniam, ac idcirco nonnullos absentia mea inflarit, ueniam tamen. Indicat autem puerilem eorū mentem atq; sententiã.

Nam

A Nam pueri absente præceptore solent in compositè sese gerere. Qui nam autem erāt, qui erant inflati? Fornicator ille, cū sapiens tum diues, ac simpliciter omnes qui ob huiusmodi efferebantur, qui, tanquam Paulus non esset qui ista argueret, erigebant cristas, & superbiebant.

VENIAM autē ad uos citò, si Dominus uoluerit.] Hæc dei ciētis superbos, adeoq; sobrios reddētis uerba sunt. Pulchrè uerò adiecit, Si Dñs uoluerit. omnia nanq; illius uolūtate agūtur.

ET cognoscam, non sermonem eorū qui inflati sunt, sed uirtutem. Nō enim in sermone regnum cœlorū est, sed in uirtute.] Quia eloquentiæ confidentes nōnulli, aspernabantur Paulū ceu idiotam & indoctū: Videbo, inquit, non eloquentiā uestram, nam ea non est opus: sed uirtute, qua signa etiam edantur, opus est. Non enim per orationis elegantiam prædicatū est cœlorum regnum, & confirmatum est, cæterum per signa quæ spiritus uirtute ac potentia eduntur.

QVID uultis? in uirga ueniā ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?] Per uirgā intelligit punitionē & pœnā. In uestro, inquit, arbitrātū situm est quomodo ad uos perueniam, manūctō ne uel atroci animo. Nā si desides fueritis deprehensi, ueniā ad uos, & æquē puniam atq; Elymam. Sin sobrij fueritis, mansuetudinis spiritu utar. Est enim & spiritus austeritatis & supplicij, uerūm à cōmodiore officio eum nominat: perinde ac Deū miseratorem & misericordem dicimus, non uindicē, scelerūmæ punitorem ac ultorem, cum tamen etiā talis reuera sit.

*Eloquentiam
Paulus non ma
gno facit.*

*Spiritus mansue
tudinis & spiri
tus austeritatis.
Nem. 9.
Iona 4.*

CAPVT V.

O MNINO auditur inter uos fornicatio, ac talis fornicatio, qualis ne inter gentes quidem nominatur, ita ut uxorem patris sui quis habeat.] Communem omnium accusationem facit, ut ne desides sint perinde quasi à delicto alieni sint, sed studeant adeoque conentur potius corrigere tanquam commune opprobrium. Nec dicit quod audacter transigatur, sed auditur. Quod si audiatur sit intolerabile, multo minus tolerandum ut quis perpetrare audeat. Præterea inter uos, qui cœlestibus mysterijs donati estis ac spiritualibus. Amplificans autem accusationem & culpam isthæc, qualis, inquit, ne inter gentes quidem. nec dixit, admittitur, uerūm ne nominatur quidem, ut coniugem quisquam patris sui habeat. Non dixit nouercam, sed uxorem patris, ut eo acrius ipse feriat, dum patris meminit. Honestius autem dixit, habeat, fornicationis nomen uerecundè fugiens, abominansq;.

ET uos inflati estis.] Ob doctrinam quæ est ab illo, sapiens enim erat. Obserua porrò Pauli prudentiam. Nusquam illum sermone dignatur, tanquam ignominiosum & indignum, qui in medium prodeat. Cum alijs autem ceu de communi delicto & culpa loquitur.

B **N**EC luxistis potius, ut è medio uestri tolleretur qui hoc opus fecit.] Debebatis, inquit, lugere, quoniam in communem ecclesiam calumnia peruenit. Conueniebat etiam ut oraretis & ploraretis tanquam super morbo & peste, ut tolleretur ex uobis, hoc est, refecaretur ceu publica noxa. Neq; nominis eius hic meminit, uerūm dixit, Qui opus hoc fecit.

EGO sanè tāquam absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicauit ceu præsens.] Non expectat suum ipsius aduentum, ut tum uinciat, cæterum tanquam pestem festinat comprimere & coercere, priusquam totum ecclesiæ corpus inficiat. Præsens autem spiritu dixit, ut compellat eos ad pronunciationem, atque perterrefaciat, ut qui sciat quæ illic iudicaturi sint, nec ignoret per spiritum quid nam agant. Quod ait, Iam iudicauit tanquam præsens, non dimittit eos per hoc aliud quicquam cogitare. Ego, inquit, protuli eam sententiam, neque secus hac in re quicquam statuendum.

EVM qui sic istud operatus est, in nomine Domini Iesu congregatis uobis, & meo spiritu.] Ut ne uideatur arrogas, eos adsumit confortes: cōgregatis uobis, inquit, in nomine Christi, hoc est, ut conuentus nō fiat humano quopiā adfectu, sed secundū Deum, ut Christus ipse uos congreget, super quo etiā conuenitis. Adiunxit autē & exhibuit ipsis suum etiā spiritum, ut ne ipsum dignetur uenia, neue condonent ei noxā, sed rectè iudicent, æquē atq; ipse præsto esset.

CVM uirtute Domini nostri Iesu Christi, tradere talem Satanæ.] Hoc est, uel quod Christus talem uobis dare queat gratiam, qua possitis diabolo eum tradere: uel quod & ipse uobiscum aduersus istum ferat suffragium. Nec dixit, Dedere, sed tradere siue committere, subaperiens ei resipiscentiæ ianuas. Neq; nominis eius rursus meminit, sed talem dicit.

IN interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini Iesu.] Hoc est, ut morbo eum maceret & tabescere faciat. Cum enim ex corpore ac delicijs cupiditates prodeunt, corpus puniri uult, uti spiritus, id est anima, seruetur. ea nanq; conseruata, & corpus conseruabitur. Vel ut spiritus, id est charisma seu donum spirituale, saluum ei seruetur, nec ab eo ceu ex impio discedat. Id porrò curam gerentis potius est, quàm punientis. Pulchrè autem diei illius meminit, ut & illi sibi metuentes, medicinam adferant, isq; hanc recipiat. Metam autē diabolo statuit, æquē atq; in diuò Iobo, ut corpus tantum, non autem animam attingat.

*Anima seruata
corpus etiam
seruatur.*

Iob 2.

NON bona est gloriatio uestra.] Obscurè & clanculū subindicat quod ipsi nō permiserint eum resipiscere, gloriantes eius nomine. Nam ex Corinthiorum sapientibus quispiam erat.

NESCITIS quod modicum fermenti totam massam fermentat?] Et uestri, inquit, non illius tantummodo curam habeo. Nam neglectum malum facilè reliquum ecclesiæ corpus perdere & uastare potest. Ut enim fermentum, modicum cum sit, totam in massam fermentat, ac in seipsum alterat: sic & huius peccatum ad sese plerosq; alios attrahet.

EXPURGATE itaque uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, quemadmodum estis
Theophylact. **M** 3 *azymi.*

Fermentum uetus. azymi.] Hoc est, fornicator: est istum eijcite, imò & alios malos: uetus enim fermentum omnis generis uitia nominat. Nec dixit Purgate, sed expurgate, hoc est, summa diligentia purgate: ut litis noua massa, siue conspersio, quæ non sit mixta uitij & malitia, quæ admodum estis, hoc est, sicuti decet uos esse: sine fermento, id est, uetere malitia, quæ acetosa est, & mordicans per poenitentiam.

Azyma quæ sint Paulo.

E T E N I M pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.] Quia azymorum, hoc est fermento uacantium panum meminit, atque hi paschalis tempore edebantur, simulatque per allegoriam quid sint azyma explicauit, nimirum affectio uel animus uitij non contaminatus: quid pascha sit allegoricè, in medium promittit: Christus, inquit, pascha nostrum est pro nobis mactatus & immolatus, debemus igitur azyma, id est, omnem ab omnibus uitij puritatem amplecti.

Malus uersutus.

F E R I A S itaque celebremus, non in fermento ueteri, neque in fermento malitiæ & uersutia.] Ostendit quod omni tempore feriarum sit occasio & opportunitas Christianis, propter excellentiam traditorum illis bonorum. Ob eam enim causam occisus est filius Dei, ut te terri & festos dies celebrare faceret: non in fermento ueteris Adami, neque in uita uitij plena, uel quod peius est, uersutia. Malus enim est, quisquis malè agit: uersutus autem, qui & cum profunditate, ac dolosa mente malè agit.

Sinceritas ueritas.

S E D in azymis sinceritatis & ueritatis.] Hoc est, in uita sincera siue pura, ut opponatur malitiæ: & uera, hoc est, hypocrisis ac dolo uacante, ut uersutia opponatur. Vel ueritatem intelligere poteris ad discrimen ueterum figurarum, quæ non fuerunt ueritas. Vult nanque Christianum ueteris Testamenti figuris superiorem esse. Vel sinceritatem accipies, puritatem quæ per opera fit: ueritatem autem ipsam contemplationem.

S C R I P S I Q V E uobis in epistola, ne commisceremini fornicatoribus.] In qua epistola? in hac ipsa. Cum enim supra dixisset, Expurgate uetus fermentum, suspicati essent fortasse sibi ab omnibus fornicatoribus ab alijs etiam qui apud Græcos essent, temperandum, seque ab ijs segregandos. Interpretatur igitur isthuc.

E T non omnino fornicatoribus mundi huius, aut auaris, aut rapacibus, aut idolorum cultoribus, alioqui debueratis ex hoc mundo exisse.] Omnino tanquam in re confessâ ac manifesta posuit. Hæc uerò huius orationis est constructio, Et omnino non prohibui ne cum mundi fornicatoribus conuersarem, hoc est, Græcis: quandoquidem alium terrarum orbem oporteret uos inquirere. Qui enim fieri potest, cum in una eademque urbe plures sint Græci & peccatores, ut non commisceamini talibus?

Samaritani dimidia parte pij.

Uerbum, id est, sit. & coniunctio, id est, aut.

N V N C autem scripsi uobis, non commisceri, si is cum frater nominatur, sit fornicator, aut auarus, aut idolorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax. Cum huiusmodi nec cibum sumere.] Vident non unicum solummodo scortatorem fuisse, sed plures alios adeoque uarijs sceleribus deformatos? Et quomodo qui frater est, idolorum esse cultor potest? Quemadmodum in Samaritanis olim contigit, qui ex dimidia parte pij essent, Dei quoque cultores uidebantur: sic in huiusmodi accidit. Ex his enim nonnulli idolis planè detinebantur adhuc. Præterea præstruit etiam sermoni, quem de ijs qui idolis immolata edebant, habiturus est, uiam. Probè autem dixit, Qui frater nominatur. Si quidem nomè tantummodo fratris habet, reuera autem frater non est, quisquis enumeratis uitij obnoxius fuerit. Quod inquit, *ἢ ἢ*, sit fornicator, potest etiam per disunctiuam coniunctionem intelligi, perinde ac sequentia, ut sit, Aut fornicator. potest etiam ut uerbum accipi, pro eo quod est, Si quis frater nominatus, sit fornicator, & quæ deinceps sequuntur. Cum huiusmodi ne cibus quidè sumendus, sit agnoscens se abominationem nauseamque esse propter scelus, ab eo sibi temperet atque absteat.

Rom. 3.

Q U I D enim mihi de ijs qui foris sunt, iudicare? Eos qui foris sunt, Græcos siue gætilis nominat: qui intus, Christianos. Nulla enim facio uerba de ijs qui foris sunt: tantum enim est quod ait, Extra meas isti leges sunt: superuacaneum itaque fuerit legem sancire ijs qui extra Christi regiam & aulam agunt. Quæcunque enim lex loquitur, ijs qui sunt in lege loquitur.

Deut. 13. 17. & 19. Improbi e medio tollendi.

N O N N E de ijs qui intus sunt, uos iudicatis: eos uerò qui foris sunt, Deus iudicabit.] Nonnulli particulam *ἢ ἢ*, id est non, siue nonne, puncto interstinguunt, deinde ab alio principio sine interrogatione legunt, De ijs qui intus sunt, uos iudicatis. Cum enim supra dixisset, Quid enim mihi de ijs qui foris sunt, iudicare? subintulit, Non, quasi dicat, mea nihil refert illos iudicare. Quidam uerò iunctim cum interrogatione legunt, Nonne de ijs qui intus sunt, uos iudicatis? hoc est, Nonne Christiani uobis iudicandi sunt? Eos uerò qui foris sunt, horribilior iudex excipiet. Proinde si à uobis, qui intus sunt, iudicantur, euadent atrocius Dei iudicium.

A V F E R T E malum ex uobis ipsis.] Meminit scripturæ loci ex ueteri Testamento, ut comòstret quod ueteri etiã adeoque superno legislatori placuerit ut scelerati excinderentur. Quod ait, Ex uobis ipsis, indicat maiore in comoditate ipsis cedere prauis extirpatione sublationeque.

C A P V T V I.

A V D E T aliquis uestrum, habens negocium aduersus fratrem suum iudicari apud iniustos, & non apud sanctos.] Plerique in pecuniarijs causis dissidentes, apud Græcos iudices contendebant, tanquam legum peritos. Hoc igitur nunc corrigit, quod obiter in medium incidit. Postquã enim mentionem fecit auarorum, actutum efferbuit sollicitudine talia patrantium. Intuere autem quomodo statim ab intio indignatione suam ostendat, audaciam appellans rem istam ac præuaricationem, Non dixit porro, Apud infideles: sed, Apud iniustos. Cum

A Cū enim is qui apud iudicē disceptat, iustū adseq̄ laborat, ostendit eos iustū hāud cōseq̄. Iniusti enim sunt, inquit, sententiā proferentes Græci. qui igitur tibi iustē iudicabūt? Sanctos, fideles appellat, ex ipsis nominibus differentiā demonstrans. alij nanq; iniusti sunt, alij uerò sancti.

Sancti fideles

AN nescitis quòd sancti mundum iudicabunt? Quia fideles pleriq; indocti non uidebantur idonei, eiuſue autoritatis, ut litem dirimerent uel causam aliquam, autoritatem illis conciliat: primū quidem sanctos eos appellans, deinde adseuerans quòd mundum sunt iudicaturi, non ipsi quidem sedentes, ac sententiā proferentes, Dominus enim iudicabit: uerū cōdemnabunt. Cum enim ipsi qui eiusdem erant naturæ, & similibus affectionibus obnoxij, inuenti fuerint fideles, illi uerò infideles, nōne isthæc condemnatio est infidelium?

Rom. 2.

1. Cor. 5.

QUOD si in uobis iudicatur mundus, indigni estis iudicijs minimis.] Obserua quòd non dixerit, à uobis iudicatur, sed in uobis: hoc est, à Deo quidē iudicatur, in uobis autem condemnatur, dum uos argumento estis quòd credideritis. Quod ait, indigni estis iudicijs minimis, talem habet sententiā. Cum enim uerisimile esset à Christianis iudicatos pudeſieri, è diuerso, inquit, contumeliam retuleritis, si ab illis qui foris sunt, hoc est ab infidelibus iudicemini. illorum enim iudicia sunt minima, non Christianorum.

NESCITIS, quòd angelos iudicabimus? † quanto magis secularia.] Angelos dæmones appellat, quos condemnabimus, quando nos carne uestiti, incorporeis istis substantijs excellentiores fuerimus reperti.

† subtrahit dæmones, id est, nectū mundana, siue uitalia, hoc est, non solum res ad uictum auctuſe uſum pertinentes.

Angeli dæmones.

IUDICIA igitur de rebus temporarijs si habeatis, qui in ecclesia contempti sunt, eos constituite. Ad uerecundiam ueſtram dico. Sic non est inter uos quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum.] Ab infidelium iudicijs eos reuocare uolens, ex abundantia adijcit: Forſan dixerit quispiam, quòd nō sit sapiēs in ecclesia, qui diiudicare possit. Si enim secundum ueſtrum sermonē nō est sapiēs, contēptos potius iudices cōstituite, quā infideles. Istuc autē dixi ad cōfusionem & uerecundiā ueſtri, cōſentiens uanæ opinioni ueſtræ: quando quidem tanta est rariſtas ſapientū apud uos ut uiles & indoctiores ſententias ferre oporteat. Fratrem suum adiecit, indicans quòd ſiquando aduerſus fratrem sit contentio, non sit opus uaria rerum cognitione & ſcientia ceu fraternam adfectione, multum faciente ad diſceptationis dilutionem.

SED frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.] Duplex malum, & quòd erga fratrem sit iudicium, & quòd apud infideles.

IAM quidem omnino delictum est in uobis, quoniam iudicia habetis inter uos.] Antea ſuſtulit contētionē & iudicia apud infideles, nunc autem prorsus ipsam diſceptationē tollit, inquit: Omnino est delictum, id est, condemnatio & pudor. Nam omnino habetis iudicia, hoc est, causas iudicarias alius erga alium habetis. hoc enim est quòd ait, inter uos. Significanter autem hoc dixit. Nam Christianorum refert ſeſe inter ſe fratres reputare.

QUARE non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed ipsi iniuriam infertis, ac defraudatis, idq; fratres?] Multiplex est accusatio. Prima quidem, quòd non uerunt iniuriam qua adſciuntur, ſuſtinere: altera, quòd ipsi potius iniuriam inferant: tertia, quòd fratrib. faciant. Pulchrum est autem, inquit, neque iniuriam facere, neque iniuria adſci: in ſumma autem, melius est iniuriam pati.

Iniuriā pati melius est quā inſerre.

AN nescitis quòd iniqui regnum Dei non poſsidebunt?] In minas admonitionem terminat, uehementiorem sermonem reddens: ac ueluti in re conſeſſa & certa ipſos interrogat.

NE erretis.] Hic occultē indicat fuiſſe nonnullos apud Corinthios, qui dicerent: Clemens est Deus, nec puniet nos, uerū in ſempiternum regnum introducet. Ait igitur, ne erretis. Etenim reuera erroris est & impoſture, hic ſperare cōmoda, poſthac uerò illic diuerſum cōſeq̄.

NE QVE fornicatores.] Condemnatum iam primo loco ponit.

NE QVE idolorum cultores, neq; mæchi, neque molles.] Molles, turpia patientes nominat. Inſert autem iam turpta quoque agentes.

Molles.

NE QVE masculorū cōcubitores, neq; auari, neq; fures, neq; ebriofī, neq; maledici, neq; rapaces, regnū Dei poſsidebūt.] Quærit multi, cur nā ebriofos, & maledicos ſiue cōuiciatores, cū idolorū cultorib. & masculorū cōcubitorib. iūxerit. His obſeruādū, qd̄ & Chriſtus eū q̄ dixerit fratri ſuo fatue, reū faciat gehēne: qd̄ q; Iudæi ex ebrietate ad idololatriā puenerūt. Dein de hic nō habetur ratio pœnæ ac ſupplicij, uerū de eo quòd q̄quā è regno excidit. E' regno aut̄ pariter oēs excidūt: nū uerò in pœnis ſint diſcimē habituri, nō est præſentis loci indagare.

Matt. 5.

Ebrietatis mæla.

ET hæc quidam fuiſtis, sed abluti estis, sed ſanctificati estis, sed iuſtificati estis in nomine Domini Ieſu, & in ſpiritu Dei noſtri.] Intelligite à qualibus malis nos liberarit, quantaq; nobis bona largitus ſit Deus. Habebatis enim uos hæc omnia commemorata, uerū ab ijs uos. munda uit Deus, imò & ſanctificauit. Quomodo? iuſtificans, inquit, uos. Abluit enim uos, deinde iuſtificās ſanctificauit: nō huius uel illius doctōris præceptoris ue nomine, cæterū in Chriſti nomine, ſpirituq; ſancto. id est, Trinitas iſta nobis donauit. Cum enim dicit quòd Deus in nomine Chriſti & ſpiritu ſancto nos ſanctificarit, nihil aliud quā trinitatem ponit.

OMNIA mihi licent, sed non omnia expediunt.] Quia fornicatoris ſuprà meminit, deq; eorū ſuſtus est uerba facturus, interſpergit interim ſermonem de gulaſitate & crapula. Ex hac enim plerunq; fornicationis malum prouenire ſolet. Ait ergo: Licet mihi edere & bibere, sed non prodeſt immoderatē iſthuc facere.

Fornicatio ex crapula ferē oeritur.

OMNIA mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.] Dominus inquit, sum cibi potusque, uerum si me istis immoderate deda, seruus eorum pro domino inueniar. Quorum enim, inquit, Deus uenter est. Proinde a nullo horum in potestatem redigar. G

Crapula mala. ESCAB uentri, & uenter escis.] Ventrem, gulositatem & crapulam dicit, non membrum nostrum: escas autem, immoderatum escarum usum. Ait ergo, immoderatum ciborum usum & luxum, amicitiam & familiaritatem cum gulositate habere, hancque cum illo. Nec possunt nos hęc ad Christum perducere, sed ad sese transmittunt obtemperantes sibi: nimirum immoderatio ad gastrimargiam, siue gulositatem, gastrimargia uero ad immoderationem.

DEVS autem & hunc & has destruet.] Non uentrem, sed gulositatem: neque cibum, sed immoderatum eorum usum. Destruet siue abolebit, nonnulli pro predictione accipiunt eius quod in futuro seculo euenturum est. nam illic neque edemus neque bibemus. Quod si illic non licebit modice cibo potuque uti, multo magis immoderatio & gulostas condemnabitur & tolletur. Theologus autem statim uentrem aboleri dicens cum cibis destructioni obnoxius, indicauit quod simulatque saturatus fuerit uenter, destruitur, qui adeo multa interim inquirat. Quidam hic adseuerant, quod adhortationem hic oratione & uoto signauerit & conluserit, summis uotis oras & expetens uti destruat tum immoderatio, tum gulostas.

CORPVS autem non fornicationi, sed domino, dominus autem corpori.] En quod fornicationis causa de gastrimargia seu gulostate locutus sit primum, commonstrauit. Consequens enim erat dicere, Corpus non cibus, neque alio: ille uero non sic dixit, sed fornicationi: ob oculos adeo ponens, quis nam sit deliciarum & crapulae effectus, nempe scortatio. Quod autem ait, est huiusmodi: Corpus non eum in finem formatum est, ut delicietur, & in fornicationem incidat: caeterum ut Christum ceu caput suum sequatur, ac rursus Dominus ceu caput illi infideat.

Deliciarum & crapulae effectus, scortatio.

DEVS uero & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per uirtutem suam.] Ne, inquit, angaris animo si audias Dominum a Deo excitatum. Tanquam autem infantes sint, sic sese illis accommodat. Quoniam autem de patre omnes magna sentiebant, quippe de quo constaret ipsum esse causam & autorem omnium rerum: eam ob rem resurrectionem patri refert acceptam, nosque ab eo excitandos demonstrat. Ut enim caput nostrum, Christum uidelicet, excitauit: non dissimilem ad modum, reliquum etiam corpus Christi, nos nimirum, excitabit. Autoritate autem & fidem faciens sermoni huic suo adiecit, per uirtutem suam. perinde ac dicat: Ne dubitetis hac de re, cuius iam memini: Virtus namque siue potentia Dei magna & praecleara transigens, isthuc etiam faciet. Quod uero patri ceu auctori Christi excitationem adscribat, planum est ex eo quod Dominus de se ipse dicit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: & rursus scriptum est, Exhibuit seipsum uiuentem. Quare cum ipse seipsum excitauerit, patri suo ceu auctori rem istam attribuit. D

Pater resurrectionis auctior.

Ioan. 2. Actuum 1.

NESCITIS quod corpora nostra sint membra Christi.] Redit denuo ad propositam admonitionem, quae contra fornicationem erat suscepta. Horribilissimo autem argumento orationem auspiciatur.

TOLLENS ergo membra Christi, faciam membra meretricis: Absit.] Non dixit copulabo scorto, uerum, quod est multo horribilius, faciam membra scorti? Quis enim non exerceatur? quis non horreat, si audiat membra Christi auelli, fierique scorti membra?

AN nescitis quod qui adharet meretrici, unum corpus est? Erunt enim, inquit, duo in carne unam.] Confirmat quod dixit, quomodo uidelicet scorti membra efficiantur, quae sunt Christi. Per commixtionem, inquit, uir unum cum scorto efficitur: quare & membra eius, quae fuerunt membra Christi, in scorti membra permutata sunt.

QUI autem adharet Domino, unus spiritus est.] Obserua quomodo ab ipsis nudis uerbis scorti & Christi, promoueat accusationem, uehementiorem ipsam reddens. Qui Domino, inquit, agglutinatur, nihil aliud quam spiritus efficitur, dum nihil carnale transigit, hoc est, spiritualis efficitur. Domino enim uniri, sanctificationem spiritus ipsi suppeditat. Per haec autem commonstrauit quoniam modo fideles membra Christi efficiantur.

Concupiscentiae carnalis ardor.

FUGITE fornicationem.] Ceu persecutricem, quae nunquam non corporibus nostris immineat. & fugere nos eam adhortatur, ut omnibus uiribus nostris ab ea abstineamus, consulens. Nihil enim adeo nos persequitur, ut carnea ista concupiscentia.

Fornicationis immunditia. Homicidium.

OMNE peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui uero fornicatur, in proprium corpus peccat.] Fornicatione totum corpus, inquit, coinquinatur: unde & ad balneas accurrere solent qui fornicati sunt, ceu corpore iam polluto. In ipsum itaque corpus delinquit scortator, contaminans ipsum, sordibusque conspurcans. Ac etiam si caedes per corpus fieri uideatur, non omnino tamen corpus coinquinat. Nam uerisimile est lapide petere, uel ligno, uel alio quopiam instrumeto, & non inquinari corpus: fornicatione autem citra corpus perficere, impossibile est: unde necessario etiam coinquinatur. Attollere adeoque exaggerare uoluit re de qua instituerat adhortationem. Non enim omnino omnium pessima est fornicatio. Alias etiam quasdam dilutiones ad id noui. Qui fornicatur, in proprium corpus peccat, quatenus non facit isthuc, spe accipiundae sobolis, neque cum legitima coniuge miscetur, sed frustra ipsum corrumpit feminis profusione, ac debilitat. Rursus aliter: Qui fornicatur, in foeminam cui miscetur, peccat, quae corpus ipsius est per congressum. Quatenus .n. non miscetur ei legitime, peccat in ipsam.

Atqui

A Atqui magni Ioannis dilutio cunctis est præstantior, prima nimirum. Ambigunt autem hic nõ nulli, in quæstionem uocâtes, quid igitur inuidia? Nonne & ea liquefacit corpus, adeoq; dissoluit? Verum diluunt ad hunc rursus modum. Inuidia est affectio siue passio, non actio: de actione autem nunc sermo Apostolo. Ait enim: Omne peccatum quodcunque fecerit homo: non tamen de passione loquitur. Inuidia enim non fit à nobis, sed efficitur in nobis.

Inuidia est passio, non actio.

AN nescitis quod corpora uestra sint templum spiritus sancti, qui est in uobis, quem habetis à Deo? Vehementius eos perterrefacit doni magnitudine, hoc est spiritus, tum dignitate donantis, hoc est Dei. Templum, inquit, factum estis, nimirum sancti spiritus. Ne igitur polluatis templum istiusmodi sanctum, neque inutile reddatis Dei eximium donum. à Deo enim habetis & donum & spiritum.

ET nõ estis uestri ipsorum, siquidem empti estis precio. Sub Domino, inquit, estis, nihilque proprii habetis, ne ipsum quidem corpus. empti enim estis precio, nempe per sanguinẽ Christi. Proinde artus uestri alij Domino sunt subiecti, & quò uult ille, duci oportet eos. Hæc autẽ dicens, non tollit propriam hominis potestatem, seu liberum arbitrium, ceterum par & iustum esse monstrat, nos Deo seruire, à quo & empti sumus.

Iuris nostri non sumus. Liberum esse nostrum arbitrium.

GLORIFICATE Deum in corpore uestro. Postquã empti estis, inquit, glorificate Deum in corpore uestro, bona opera per corpus perficientes, sanctumq; ipsum seruâtes & purum. Glorificatur enim Deus, quum bona opera nostra homines uidet, ac deinceps Deum glorificant.

ET spiritu uestro. Ostendit quod non corpore tantum sit euitanda fornicatio, ceterum & anima, ut mente non coinquinetur. Spiritum enim mentem & intellectum nominauit. In corde nanque adulterium, in Euangelij etiam interdicitur.

Cordis adulterium.

QUAE sunt Dei. Absidue in memoriã reuocat quod nõ simus nostri ipsorum, uerum sub Domino Deo censemur, qui & animam & corpus nostrum sanguine mercatus est.

Matt. 5.

CAPVT VII.

DE quibus autem scripsistis mihi. Sectas correxit, tum fornicationem & auaritiã: iam nunc uerò de nuptijs & uirginitate constituit. Scripserant enim ei, num sit abstinentium ab uxore, an secus.

BONVM est homini mulierem non tangere. Bonum, inquit, & eximia res est cuius mortalium, nec soli sacerdoti, perinde ac nonnulli malè intelligunt, mulierem profus non attingere, sed uirginem permanere. Tutior autem, nostramque plurimum imbecillitatem adiuuã est matrimonij res. Subinfert igitur:

Matrimonium tutius est.

PROPTER fornicationes autem unusquisque propriam uxorem habeat, & unaquæque suum uirum. De utraque parte disserit. Verisimile est enim uirum continentiam anare, mulierem autem non item: aut è diuerso. Propter fornicationes autem, dicens, compellit nos ad continentiam. Si enim propter fornicationes nuptiæ permittuntur, non debent posthac matrimonio iuncti intemperanter, sed pudicè ac moderatè congrederi.

Coniugatorum continentia.

VXORI maritus debitam beneuolentiam reddat, similiter & uxor marito. Debitum (inquit) habetis, mutuam erga uos beneuolentiam. Quatenus igitur debitum, necessarium est ut eam beneuolentiam inter uos mutuò præstetis.

VXOR proprii corporis non habet potestatem, sed maritus: similiter autem & maritus proprii corporis potestate nõ habet, sed uxor. Quod debitum sit, & ueluti necessitas mutua inter maritum & uxorem beneuolentia, nunc illud ipsum demonstrat. Non enim, inquit, potestatem habent corporum, sed enim uxor & serua est & domina mariti: serua quidem, quatenus non habet proprii corporis potestatem, ut tradat ipsum quibus uelit, ceterum maritus dominatur in ipsum: domina uerò, quatenus rursus mariti corpus ipsius est, nec habetis corporis sui potestatem, ut tradat ipsum scortis. Cõsimilè ad rationem maritus est cum seruus tũ dominus suæ coniugis.

Vxor & serua & domina mariti: & contra.

NE defraudetis uos mutuò, nisi quid ex consensu ad tempus. Hoc est, inuito marito ne contineat uxor, uel maritus nolète uxore ne contineat. Alterum enim altero inuito isthuc facere, est defraudare, quemadmodum & de pecunijs dicitur: uolente uerò, non item, ceu quando ex consensu, quando utriq; segregauerint aliquid temporis ut abstineant inter sese.

VT uacetis ieiunio & orationi. Interpretatur quomodo dixerit ad tempus, siue quando tempus fuerit uacare orationi, hoc est, intensè orandi. Non enim dixit simpliciter, Ut oretis: sed, Ut uacetis orationi. Si enim simpliciter ab orando eos qui congressu utuntur, arceret, uel orare prohiberet, quomodo alibi diceret, Incessanter orate. Ut igitur oratio feruentior fiat, Abstinet, inquit, alius ab alio: ueluti congressus non impuritatem faciat, sed negotium faceffat.

1. Theff. 5.

ET rursus in idem conueniatis, ne tentet uos satanas. Propter incontinentiam uestram. Illud ut rursus conueniatis, inquit, non ceu legem imponens dico, sed ne uos tentet satanas, ad fornicationem uidelicet. Quia uerò diabolus per sese non est autor fornicationis, sed incontinentia primùm nostra, subintulit, Propter incontinentiam uestram. Ipsa enim est in causa cur satanas nos tentet.

HOC autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Illud ad tempus, inquit, ne defraudetis uos mutuò, per concessionem dixi, acquiescens imbecillitati uestre, non legem sanciens uobis, aut mandatum quod transgredi non liceat.

VOLO enim omnes homines esse sicut & meipsum. Si quando ardui quippiam demãdet, solet

folet sese in medium proferre diuus Paulus. Ait igitur, optarim ut semper omnes continerent. **C**
Celibatus, donum Dei. SED unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius uero sic.] Virginem, inquit, quempiam manere, donum Dei est. Atqui & nostro studio ea res opus habet. Quomodo igitur donum ipsum dicitur: ut consoletur eos quos abunde percussit cum dixit, Propter incontinentiam uestram. Obserua autem quod etiam nuptias donum faciat, inquit: Vnusquisque proprium donum habet, alius quidem sic, hoc est, ut uirgo permaneat: alius uero sic, hoc est, ut in matrimonio sit.

Nuptiarum donum Dei. DICO autem in nuptis & uiduis, bonum eis, si permanserint, sicut & ego. Si autem non continent, nubant: melius est enim nubere quam uri.] Viden sapientiam Pauli, quomodo meliorem monstrat esse continentiam, nec interim tamen cogat si quis non possit, ut ne peius flagitium committatur? Si enim multam, inquit, uim sustines & uisionem (magna enim concupiscentiarum tyrannis est) discede a laboribus istis & sudoribus, ne quando subuertaris.

Mat. 5. et 19. IIS autem qui matrimonio iuncti sunt precipio, non ego, sed Dominus.] Quia Dominus legem palam sanciuisset, non debere fieri diuortium dempta fornicationis causa, propterea, Non ego, inquit, sed Dominus. Antehac enim commemorata, non fuerunt aperte a Domino lege lata instituta, etiam si quaecumque Paulus dicat, Domini sunt, & non humana. Nam in progressu dicit: Puto enim quod & ego spiritum Dei habeam.

Pauli dicta diuina sunt.

VXOREM a uiro non discedere, quod si discesserit, manere in nuptam, aut uiro suo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat.] Quoniam seruandae pudicitiae gratia uel intolerantia quadam, uel alia quauis de causa fiunt diuortia: Satis quidem, inquit, est, ut nulla prorsus fiat seuitio. Quae tamen si fieri contigerit, maneat mulier uirum habens, & si non ad commixtionem, sed saltem ut nullum alium superinducat: uel uiro concilietur.

Mat. 5. RELIQUIS autem ego dico, non Dominus: Siquis frater uxorem habeat infidelem, ipsaque consentiat habitare cum illo, ne dimittat ipsam. Et uxor cui maritus est infidelis, cui placeat habitare cum illa, ne dimittat ipsum.] Quid ais? Si infidelis quispiam sit, maneat cum uxore: si fornicarius, non item. atqui fornicatione deterior est infidelitas. Deterior quidem, sed nostra potius uindicta Christus, quam sua. Nam relinque, inquit, ibi uictimam meam, & fratri tuo reconciliare. Et decem talentorum millia contempsit sibi debita, sed contumeliam in eum qui centum denarios debebat, factam, uindicauit. Sic igitur & hoc loco infidelitatem, qua constat in se delinqui, dissimulat Deus, & nihili ducit: ob fornicationem uero qua in uxore peccat, poenas exigit. Dicunt tamen nonnulli, quod per ignorantiam infidelitas contingat, qua uerisimile erat ipsos laborare. Quemadmodum & ipse ait: Quid enim nosti mulier, si uirum saluum facies?

Mat. 18.

Fornicationem autem ex confessa quadam fieri & indubitata malitia, haud dubium est. Fornicator praeterea seipsum prius separauit, auferens enim membra sua ab uxore, effecit membra meretricis. Infidelis uero nihil in carnalem unionem peccauit. Imo potius per ipsam fortasse unietur & coniungetur etiam secundum fidem. Ut ne interim dicam quod uitae fieret euerfio, carpereturque ob id Euangelium, si credens ab incredulo seiungeretur. Id tamen tum quidem futurum intelligas, si utriusque cum in infidelitate essent, inissent coniugium, postea alter ad fidem uenisset. Nam si prius fuisset aut uir aut uxor fidelis, haudquaquam cum infideli iungi matrimonio licuisset. Nec dixit quidem, Si quis uult infidelem accipere: sed, Si quis habet infidelem uxorem. Nec simpliciter infideli fidelem, sed uolenti cohabitare facit. Id enim significat, quod ait, Consentiat, hoc est, uoluerit.

Fidelis cum infideli matrimonio non inecat.

SANCTIFICATVS est enim maritus infidelis per uxorem, & sanctificata est uxor infidelis per maritum.] Hoc est, partis fidelioris abundantia puritate uincitur infidelis ipsius immunditia, neque eo quod sanctitatem adipiscatur infidelis, si quidem non sanctus est dixit, sed sanctificatus est, hoc est ab eius quae fidelis sit, sanctimonia superatus est. Hec autem dicit, ne uereatur fidelis aliqua mulier aut metuat se labi & sordibus infici, si cum infideli rem habeat. Quæritur autem: Quod si quis qui meretrici adhaerit, unum iam corpus cum ea sortitus, sit immundus: perspicuum est, etiam eam quae cum idololatra iungitur, unum cum illo corpus sortiri: cur igitur ex ea re non immunda redditur mulier? Quoniam in fornicatione illud ipsum in quo communicat, commixtionem dico, impuritatem habet, eoque uel utrosque coinquinari: uerum quod ad fidelem spectat & infidelem, longe se aliter res habet. Siquidem ob suam incredulitatem immundus efficitur infidelis, iuxta quam mulier cum ipso non communicat, sed iuxta commixtionem coniugalem, quam nullam habere in se immunditatem liquet. Est enim haec illi connubij uinculis nexa. Propterea nullam fidelis ex eo labem admiserit.

Coniugalis copula nullam habet immunditiam.

ALIO QVIN filij uestri immundi essent.] Nam si infidelis credentis nitore non uinceretur, forent sane quos parerent liberi immundi, uel ex parte dimidia mundi.

NUNC autem sancti sunt.] Hoc est, non immundi. Nam per exuperantiam dictionis huius sancti, huiusmodi suspicionis metum reijcit.

† nos, habet eodex Basiliensis, ut etiam in glossa.

QUOD si infidelis discedit, discedat.] Hoc est, si uir infidelis uxori fideli iniungat ut secum sentiat, & particeps suae fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & a uiro abscadat. Satis enim est connubium ipsum dissoluere, quam pietatem & Dei cultum dimittere.

NON .n. seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace aut uocauit nos Deus.] Si tecum ille eod, inquit, iurgatur, quod suae infidelitatis participare nil tolere, cofestim secedito.

Non

A Nō enim es huiusmodi seruituti subiecta, hoc est, nil cogis uirum in rebus huiusmodi ppeti. Melius est enim secedere, quā altercari. Neq; enim diuinā illud est uolūtatis, quippe qui uos in pace uocarit. Itaq; si ille litiget, & iurgijs urgeat, præbuit ille diuortij causam.

*Altercatio fugia
end.*

QUID enim nosti mulier, num maritum saluum facies? Rursum ad id quod superius dixerat, redit, uidelicet, Non dimittat mulier uirum. Si enim tibi nihil molestus sit, inquit, maneto cum eo, & commōnefacito: aliquid fortē hoc modo peregeris. Quasi rem in ambiguo statuit, cum ne uideatur mulieri necessitatem ullam imposuisse, ut uiro Christi fidem excipiendam persuadeat: tum ut hanc reddat ad bene sperandum intentam & à desperatione auertat.

AUT quid nosti uir, si coniugem tuam saluam facies? Nisi cuiq; ut diuisit Deus. unumquemque ut uocauit Dominus, ita ambulet. Nonnulli sic cōstruūt, Quid nosti uir, si mulierem saluā facies, necne? Deinceps quasi ex alio quodam capite dicat, Vnicuiq; ut diuisit Deus. perinde ac si dicat, Vnde compertum habes, si saluam facturū hanc sis, an minimē? id quidem est prorsus incertum. Quādiu res in ambiguo fuerit, haudquaquam est dirimendum connubium. Quod si saluam non feceris, nil tibi officiet Saluam autem hanc si reddideris, & alijs profuisti & tibi. At non ita legit Chrysostomus: sed, Nisi ut unicuiq; diuisit Deus: qui sensus est longē posterior. perinde ac si dicat Apostolus: Haudquaquā ppter infidelitatem fiat diuortium, nisi unicuique hoc est, Sed unusquisq; sic se habeat, ut Deo de illo disponere placuit. Vxorem habens infidelem uocatus es: eam retineto, nec ob infidelitatem eam eijcias.

ET sic in omnibus ecclesijs dispono. Hoc intulit, ut Corinthios, quādoquidem & alios habeant huius disciplinæ participes, ad obsequendum reddat paratiores.

CIRCUNCISVS aliquis uocatus est: Non adducat præputium. Fieri poterat, ut multi quos defectæ pelliculæ puduisset, medicamento adposito & hanc niterentur iteratō sarcire, & obscœnum illud concisum in pristinum statum redigere.

IN præputio aliquis uocatus est: non circumcidatur. Contrā, nonnulli, quod in circumcissione præclarum quid esse uideretur, post fidem circumcidebantur. Ait igitur Apostolus, quod ipsa ad fidem nihil conferat.

CIRCUNCISIO nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mādatorum Dei. Vbi que unā cum fide uirtutis exigitur operatio, siue mandatorum obseruatio.

VNVS QVIS QVE in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat. Seruus uocatus est: nō sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere. In uocatione qua uocatus es, hoc est, quocūq; in uitæ genere, uel ordine, uel cōditione, Christi fidē suscepit q̄spiā, in hoc pseueret. Uocationē autē dicit inductionē ad fidē. Seruus cū esses, uocatus es: nihil sis uelim ob seruitutē hanc anxius, neq; ob id obturberis. Vsq; adeo enim non est obfutura seruitus, cū potius si potes liber fieri, utere magis: hoc est, acrius seruitute exercere, in usumq; aliquē & utilitatē te cōferto.

Vocatio que dicitur.

QUI enim in Domino uocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Libertus dicitur, qui seruitute eximitur. Inquit igitur: Tu qui cum in seruitute maneres, credidisti in Christum, libertus effectus es Christi. liberauit enim hic te à peccato, & seruitute exteriori, tamen si seruus sis. Qui enim à uitij liberatur, & animi ingenuitate potitur, nequaquam ultrā est seruus. etsi seruitute adhuc uideatur obstringi. Rursum alius qui spiā liber cū esset, ad fidē uocatus, Christi seruus efficitur. Itaq; si seruitutis nomē seruū obturbat, intelligat in Christo se libertate hac uti: quod longē est humana libertate præstantius. Porro si libertatis hoc nomen, liberum hominem extollit, intelligat idem esse se Christi seruituti obnoxium: comprimatq; se, utpote qui tati Domini iugū subierit, & debeat illi que grata sunt, facere. Vides quā prudenter Apostolus, quæ utranq; deceant partem, commonefaciat.

*Libertus,
Ioan. 3.*

PRECIO empti estis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisque in quo uocatus est, fratres, in eo permaneat apud Deum. Non solum ad seruos huiusmodi differit, sed etiam ad liberos homines habet hæc uerba: & uniuersos instituit Christianos, ut nihil ad humanam gratiam facerent, neq; illorū iussa qui praua iniunxerint, exequantur. Hoc enim esset hominibus seruire, & per eos præsertim qui à Deo redempti precio sint. Neq; id eō intulit, ut à dominis desciscat mōcipia, absit: neq; enim id iubet: quod liquidō patet ex eo quod addit, Vnusquisq; in quo uocatus est, maneat: hoc est, uel si fuerit in seruitute uocatus, in ea hic perftet. Apud Deum autem adiecit, ne fortē improbis dominis obsequendo, deficiamus à Deo. Vtrisque enim prouidet, uel delictet ne sub Dei prætextu discedant à dominis, quorum in potestate eorum sunt corpora: & rursum ne à Deo deficiant, cū dominis obsequi ultrā quā deceat, uolunt.

Hominibus seruire quid dicatur.

DE uirginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Cum de continentia abundē dixeruisset, castigassetq; satis Corinthios, ad uirginitatem transgreditur, quæ cæteris longē est præstantior: aitq; nullam Dominum tulisse de uirginitate legem, neque de hac quicquam statuisse, sed unum illud dixisse: Qui potest capere, capiat. Quocirca neque ipse ausim quicquam de illa re statuere: magnum enim hoc & periculosum: cæterum consilium do, quatenus ipse per ipsius misericordiam non indignus apud Deum sum habitus ut sim fidelis, hoc est dignus cui credatur: qui mysterij cognitionem ut habeam, sum dignatus.

Matt. 19.

EXISTIMO ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Ut sentio, inquit, à nuptijs abstinere conducit homini, propter rei uxoriæ

Vxoriam rei mō difficultatē.

difficultates atq; molestias, non immunditiæ gratia, aut quia impura debeat res illa haberi.

ALLIGATVS es uxori: noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore: Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti.] Cum ait, ligatus es, ob oculos posuit quod nuptiæ ueluti nexus, afflictionem adferant. Solutionem autem, non eam quæ fit ex consensu continentiam dicit, uerum disunctionem quæ est præter rationem: nam si ex consensu contineat, ea non est solutio. Quia uerò dixit, Ne quæras uxorem, ne uideatur cœlibatum uelle statuere, adeoq; matrimonium dissuadere, subdit: Si autem & duxeris, non peccasti. Animaduerte aut, qui nam clanculum ad uirginitatem ac cœlibatum perpellat, nuptias nexus appellans, uirginitatem autem solutionem & libertatem.

Matrimonij nes-
xus, cœlibatus li-
bertas.

ET si nupserit uirgo, non peccauit.] Virginem hic dicit, non eam quæ Deo cōsecrata sit (ea enim si nupserit, peccauit omnino, utpote quæ mœchum superinduxerit sponso suo Christo) sed innuptā dū puellā. Ea enim si nupserit, non peccauit: nec enim res impura est matrimoniū.

TRIBVLATIONEM tamen carnis habebunt eiufmodi. Ego autem uobis parco.] Solitudines in matrimonio & mœrores obuientes, tribulationem uocat. Ego autem (inquit) uobis parco, tanquam filijs, uoloq; liberos uos esse, extraq; mœrorem: tanquam matrimonium nexus quispiam sit, quiq; eo sint colligati, non sint sui iuris, ut supra commemoratum.

Matrimonij no-
luptus breuis.

HOC autem dico fratres, tempus breue est. Reliquum est.] Cum dixisset, Afflictionem habebunt in carne: ne quis adijceret, Atqui & uoluptatem habebunt: subsecat & aufert quæ sunt uoluptatis, per hoc quod tempus esse contractum & breue subinferat. Ad dissolutionem enim & interitum omnia uergunt, appropinquauitq; regnum Christi, ac in posterum ad ipsum proficisci & migrare debemus. Quare etiam si nonnulla in matrimonio uoluptas est, ea tamen breuis est, exiguoq; temporis spacio duratura: atq; hoc ipsum est tribulatio & afflictio.

VT & qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.] Quod si qui uxores habent, tanquam non habeant, esse debeant, quid deinceps commodat matrimonio adstringi, sibiq; ipsi onus iniicere? Quid porro est, tanquam non habentes: pro eo accepit quod est, nō adfixi, non omne studium circa nuptias & uxorem impendentes. Consimilem ad rationem, neque circa alia, siue ea tristitia sint, quæ per flentes adumbravit: siue delectabilia, quæ per gaudium denunciauit: neque circa contractus, siue permutationes, quas per emptionem indicauit: debent nimia cura tangi. Ecquid, ait, hæc & hæc simpliciter recenseo: Qui utuntur hoc mundo, non debent ipso abuti: hoc est, non sint nimia in ipsum cura intenti, nō omni in eum studio & affectione incumbant. Abusus enim, est superfluus usus, decorum & modum exuperans.

PRAETERIT enim figura mundi huius.] *παράγει*, id est præterit & dissoluitur. Quid ergo amore eius tenemur, quod dissoluitur? Figuram autem appellauit, commonefaciens omneis huius mundi res oculos tantum attingere, oculumq; pabulum esse atq; superficiem quandam fluxam, nihil stabile aut subsistens habentem.

VOLLO autem uos absq; sollicitudine esse.] Ecquid uacabimus sollicitudine: si cœlibes permanserimus. Infert igitur:

QVI sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino: qui uerò cū uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.] Quomodo uolens nos absq; sollicitudine esse, o diue Paule, ac propterea nos in cœlibatu asseruās, rursum dicis, Cœlebs de ijs quæ Domini sunt sollicitus est: Ecce enim iterū nobis sollicitudines prodeunt. Sed nō tales, inquit, quales sunt matrimonij. Domini enim curæ salutare sunt, oblectabilesq;: mundi uerò curæ noxiæ sunt, afflictionisq; & angustiae plenæ. Quomodo enim non fuerit afflictio & interurbatio, studere quò placeas coniugi, maxime uerò uxori mundi amanti & ornatus: dumque aurum & margaritas, aliamq; id genus mollitiem acquirere laboras, unde ad iniquitatem miser mortales impelluntur. unde & animæ nocentes rerum actiones emergunt?

UXORIBUS cura:

DIVISAE sunt uxor & uirgo.] Hoc est, differunt inter se mutuo, nec habent eandem sollicitudinem, sed diuisæ sunt studijs suis. hæc enim in hoc incumbit, illa uerò in illud. Proinde diuersæ sunt utrarumq; curæ. Quare seligenda est & præstantior, & minus laboris habens.

INNUPTA cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, ut sit sancta & corpore & spiritu. Quæ uerò nupsit, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro.] Non satis est corpore uirginem esse sanctā, uerum spiritus etiā sanctimoniam requiritur. Hæc enim est uera uirginitas, animæ puritas. Quandoquidē multæ corpore quidē castæ & impollutæ, anima uerò cōtaminatæ sunt. Atqui isthuc cōsidera, quod nō sit uirgo, quæ anxie quæ sunt mundi cogitat. Cū igitur cōspexeris quāpiā quæ castitate uouit, adeoq; pmissit, sollicitē incumbentem rebus mundi, noueris eam nihil discrepare à coniugata. Diuus enim Paulus fines utriusq; posuit quibus dignoscantur, non certē matrimonium & continentiam, sed curiositatem & tranquillitatem à curis uacuam. Quare quæ uarijs sese immiscet rebus, non est uirgo. Anxiè porro cogitat quæ iuncta est matrimonio, qui placeat uiro, partim formæ minimè negligens, partim uerò dum bona materfamilias uideri uult, immisericordem sese & parcam ostendens.

PORRO hoc ad utilitatem uestram dico, nō ut laqueum uobis iniiciam.] De uirginitate sermonem moui, sciens cōferre eam uobis ré, quod mœrore sollicitudineq; careat, animæq; sit utilior:

A utilior: non ut cogam uos, si nolitis uestrapte sponte cœlibes & uirgines permanere. Si quidem laqueum necessitatem nominauit.

SED ad id quod honestum est, & ut Domino afsideatis, ita ut ab eo auelli nequeatis.] Ut, inquit, honeste & in puritate uiuatis. Quid enim uirginitate honestius & purius? & ut liberi à nuptiarum turbis, citra auulsionem Domino seruiatis, ipsiq; adsideatis, curam uestram in ipsum transferentes. *Virginitatis cõmendatio.*

SIN quis turpe esse putet super uirgine sua, si fuerit superadulta, & sic oportet fieri, quod uult faciat, nõ peccat, contrahant matrimoniũ.] Sin quis, inquit, qui reuera sit imbecilli intelligentia, turpe esse censeat, filiã suã uirginẽ retinere, præsertim qui ætatis florẽ prætereat, Fiat, inquit, sic. Quomodo? quod animo sederit faciat: hoc est, si uelit eam tradere marito, tradat. nõ enim peccatũ admittit. Veruntamẽ melius est uirginẽ seruare, quemadmodũ deinceps dicit.

QVI autem stat firmus in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens propriæ uoluntatis, atq; hoc iudicauit in corde suo, seruare suam uirginem, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: qui uerò non iungit, melius facit.] Obserua quomodo statim ab initio admiretur eum qui seruet suam uirginem, stabilem ipsum & pulchrẽ incedentem, cumq; iudicio agentem quæ agat, asseuerans. Iudicauit enim, inquit, ac decreuit in corde suo. Itaq; qui uirginem suam nuptui tradit, non stat firmus. Quod ait, Non habens necessitatem, significat quòd potestatem habeat ut det uirgini suæ maritum, neque quisquam sit qui cogat eum ne det Honor itaque eius est seruare filiam uirginem, eamq; ob rem laudatur. Bene enim, inquit, facit. Porrò qui elocat nuptum uirginem, & ipse bene facit. non enim peccatum est elocare. Omne autem quod non est peccatum, bene fit. Melius uerò est non elocare: uirtus enim est.

MULIER alligata est legi quanto tempore uiuit maritus eius: si autem dormierit maritus eius, libera est ut cui uult nubat, modò in Domino. Beatior autẽ est si sic manserit, iuxta meum consilium. Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.] De secundis priore marito defuncto nuptijs hæc tradit, permittens quidem eas, attamen beatiorem eam iudicat, quæ alterum maritum nõ acceperit, in uiduo statu permanens. Quemadmodum uirginitas primis nuptijs seu matrimonio est melior, sic & prius matrimonium posteriori præstat. Alligata est igitur legi mulier, hoc est, continetur lege de adulterio cauenti ne adultera fiat, si alteri uiro copuletur uiuẽte marito. Sin defunctus fuerit, liberata est à primo nexu & lege, adeoq; soluta est. Modò in Domino: hoc est, cum temperantia & decoro, in liberorum procreatione & præsentia, non in libidinis affectione. Secundum uerò meum consilium dicit: ne rem istam necessitatem arbitraris, sed consilium, idq; diuinum. Puto enim, inquit, me spiritum Dei habere. Magnæ id humiliationis argumentum est. non enim dixit, Habeo: sed, Puto: hoc est, arbitror, existimo.

Bene est, quicquid peccatum non est.

Rom. 7. Viduitatis commendatio.

Consilium Pauli quale accipiendum.

CAPVT VIII.

DE IIS autem quæ idolis immolantur nouimus quoniam omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas ædificat.] Fuerunt quidam apud Corinthios perfecti, qui scientes quòd quæ ingrediantur in hominem, ipsum non coinquent, quodq; idola sint lapides & ligna, nec possint nocere: indiscriminatim introierunt idolorum delubra, atq; comederunt idolis istis immolata. Hos alij imperfectiores uidetes, ingressi sunt & ipsi delubra, atq; idolothytis uescebantur, non eadem sententia, uerum ceu idola ista preciosum quiddam forent, ac digna quibus immolationes fierent. Hoc itaq; ad zelum prouocauit diuum Paulum, quippe quòd utrisq; obesset: perfectis, tanquam ijs qui dæmoniis mensis fruerentur: imperfectis, tanquam ij ad idolorum culturam impellerentur. Accelerat igitur emendare hoc, ad perfectos differens, imperfectioribus dimissis pro sua consuetudine. Ac primùm deicit ipsorum in scientia fastum, inquiens: Non uos soli scientiam habetis, sed nos omnes ex æquo teneamus quòd nihil sit idolum in mundo. Verum scientia adeò non solum non prodest, ut potius etiam obsit, inflans & intumescere faciens habentẽ, ac propterea abscindens à proximi membro, nisi charitatẽ unã secũ habuerit, quæ è diuerso ædificare potest. Quæcunq; enim scientia citra charitatem destruit, hæc charitas excitat reædificatq; omnia in proximi gratiam faciens.

Idolothyta.

SI quis autem se existimat scire aliquid, nondum quicquam nouit quemadmodum nouisse oportet.] Maius quiddam hic dicit: Etiam si charitati scientia coniuncta fuerit, neque sic est, inquit, perfecta. Nemo enim quicquam nouit quemadmodum scire oportet, etiam si Petrus uel Paulus fuerit. Quid igitur uos efferimini, qui scientia citra dilectionem imbuti estis? quandoquidem si scientiam etiam cum dilectione haberetis, neque sic tamen consummatum aliquid sciretis.

SIN quis autem diligit Deum, is cognitus est ab eo.] Quod ait, eiusmodi est: Si quis charitate proximum suum prosequitur, is Deum etiam profus diligit. Porrò non ait quòd diligens Deum, ipsum quoq; nouerit, sed quòd à Deo cognitus sit: hoc est, notus ipsi & domesticus, adeoq; familiaris constituitur. Notus autem Deo, scientiam ab eo accipit, neq; hanc tamen perfectam habet. Proinde et si scientiam habeas, ne tu fastu quopiam turgeas: neq; enim perfecta tibi scientia est, neq; tuum opus tuã ue uirtus eam tibi conciliat, sed Christi est donũ. Vide igitur quantis argumentis eorum fastum suppressat.

DE manducatione uerò eorum quæ idolis sunt oblata, scimus quòd idolum nihil est in

Theophylact.

N mundo,

mundo, & quod nullus est Deus nisi unus.] Rursum communem facit cognitionem, illorum C factum deprimens. Omnes enim, inquit, scimus, quod idolum nihil sit in mundo, id est, nullum robur habet: neque dii sunt, sed lapides ac dæmones. Quia uero apud Græcos fuere & indocti & sapientes, indocti quidem nihil plus idola esse quam lapides norant, philosophi uero diuinas idolis inesse inque ipsis habitare uires arbitrabantur: ad idiotas dixit, idolum nihil est in mundo: ad philosophos uero, non est alius Deus præterquam unus. Neque diuina itaque uirtus simulacra ista inhabitat: unus enim Deus est, non multi.

Deus unus. NAM etsi sunt qui dicantur dii siue in cælo, siue in terra, quemadmodum dii multi sunt, & domini multi: nobis tamen unus Deus pater est, ex quo omnia, & nos in ipsum.] Cum nullum esse alium Deum asseruisset, essentque apud Græcos dii multi: ne uideretur rebus manifestis repugnare & contradicere: etiam si sint, inquit, qui dicantur dii, hoc est qui reuera non sint, sed nominatenus siue in cælo, ut sol & luna, aliæque stellæ & sidera, ex quibus deos fecerunt Græci: siue super terram, ut qui ex hominibus in deos translati sunt. At uero nobis est unus Deus pater, ex quo omnia: quod significat eum esse conditorem & creatorem. Quod uero adjicit, Et nos in ipsum: fidei & uendicationis, qua nos sibi uendicat, rationem indicat. perinde quasi dicat, Et nos ad ipsum conuersi sumus, exque eo pendemus.

Rom. 9. Psal. 109. ET unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.] Per filium omnia ad esse perducta sunt, id est, condita & creata, & nos per ipsum ad hoc ut essemus, perducti sumus: & ut bene essemus, hoc est, ut fideles efficere mur, atque ex errore ad ueritatem traducere mur. Cæterum cum audis, Unus est Deus pater, & unus Dominus Iesus: ne patri soli attributum censeas Dei uocabulum, filio uero Domini. Indiscriminatim namque & filius Deus est, ut in eo loco planum sit: Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, & rursus pater est Dominus, ut in eo Psalmi: Dixit Dominus Domino meo. Sed quoniam ad Græcos illi sermo erat, multos deos colentes, multosque dominos: propterea neque filium Deum hic dixit, ne duos deos existimarent, ut qui multis dijs assueuissent: neque patrem Dominum appellauit, ne multos etiam dominos apud nos esse censerent. Ob eam causam neque spiritus hic ullam fecit mentionem, auditorum imbecillitati parcens: quemadmodum neque Prophetæ filij aperte meminerunt, Iudeorum causa, ne ipsi affectam adeoque carnalem natiuitatem intelligerent, seu humanis affectibus obnoxiam. Vnde & unitatis uocem continuo ponit, Non est, inquit, Deus, nisi unus, & unus Deus & unus Dominus. Ad appositionem igitur uanorum deorum, non filij, dixit unum Deum patrem: atque ad differentiam falsorum dominorum, non autem patris, dixit unum Dominum ipsum filium.

Deut. 3. 4. et 32. SED non in omnibus est scientia.] Non omnes, inquit, nouerunt unum esse Deum, & non multos, nihilque esse idola.

idolothyla, id est idolis siue simulacris immolata.

QUIDAM autem cum conscientia idoli usque nunc quasi idolothytum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma polluitur.] Quidam, inquit, indefinite, nolens eos palam proferre. Nam haud parum multi ex idolorum cultura ad Christum accesserant, qui usque nunc siue huc usque, id est, postquam etiam crediderant in Christum, idolothyta tanquam idolothyta manducant. Cum conscientia enim, inquit, idoli, hoc est, eandem sententiam habentes de idolis, & putantes illa esse aliquid, & metuentes sibi ab illis ne læderentur. Quapropter non dixit, Illa, idola nepe, polluunt, sed enim conscientia eorum polluitur, quippe que imbecillor sit, quam ut possit intelligere idolum nihil esse, cum illa ipsa tamen per sese non possint polluere quenquam. Intelligitur tale quippiam pati eos, ueluti si quis Iudaica consuetudine contaminationem existimans attingere mortuum, deinde alios uideat tangere pura conscientia, ipse quoque tangat illos ueritus, interea tamen eius conscientia coinquinetur, ut qui diiudicet & ambigat secum.

Cibus nos Deo non commendat.

ESCA autem nos non commendat Deo.] Ne obijciant, Ego pura conscientia uescor, ecquid mihi curæ est si quis per imbecillitatem offenditur? ostendit quod ipsum edere etiam cum contemptu idolorum, nihil sit. Etiam si enim frater tuus non læderetur, neque sic tamen laudabile quicquam faceres, Deoque gratum: cibus enim nos Deo non ad sociat, non amicos & familiares siue domesticos facit.

NEQUE enim si edamus, abundamus: neque si non edamus, deficiamus.] Hoc est, neque si edamus, idcirco meliores sumus, ac Deo gratiores: neque si non edamus, idcirco peiores sumus, uel destituimur, uel minus quicquam habemus.

VIDETE autem ne quomodo hæc licentia uestra offendiculum fiat infirmis.] Perterrefacit eos per hoc. Nec dixit, Scientia uestra, sed Licentia, hoc est, petulantia & arrogantia fiat offendiculum infirmis. Atque hæc maior eorum est accusatio, quod ne infirmis quidem uoluerint parcere, quibus opus erat uel manum porrigere etiam.

† ἰδωλεῶν ἰδωλεῶν, id est templo idolorum, uel mensa in qua carnes sacræ proponebantur.

NAM si quisquam conspexerit te habentem scientiam, in† idolio accumbentem, nunquid conscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ut uescatur idolothytis? Hoc est, si te qui perfectus haberi uis, quispiam infirmus conspexerit idolis immolata edere gustareque, non ne maiorem accipiet occasionem, ut & ipse uescatur ipsidem, magisque stabilietur? Hoc enim est ædificabitur, ut existimet idola aliquid esse.

AC peribit infirmus frater ob tuam scientiam, propter quem Christus est mortuus.] Id est, fiet occasio interitus fratri, tua perfectio, fratri inquam infirmo, propter quem Christus etiam obiit.

A obijt. Et Christus quidem pro ipso non detrectauit mori: tu uerò ne à cibis quidem abstines ut ne offendatur?

SIC autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorū infirmam in Christum peccatis. Non dixit offendetes, sed percutientes, ut crudelitatem indicaret, quando quidem & languentem conscientiam feriant. In ipsum autem transgressionis fastigium peccatum re-
rulit, In Christum delinquitis, inquit. Quomodo autem peccatum in Christum refertur? multis modis. Nam & quæ seruorum suorum sunt, sibi tribuit: & quoniam corpus & membra ipsius sunt, qui feriuntur: & quia, quæ ipse per sui macerationem aut uictimam ædificauit, nimirum ipsam salutem, ipsi destruant.

QVAPROPTER si esca scandalizat fratrem meum, nõ manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Ceu optimus præceptor, per seipsum commendat quæ dicit. Nec dixit, si iuste scandalizet, sed quacunq; ratione. Nec ait, non manducabo idolis oblatum, *Infirmorum* sed carnem simpliciter, etiamsi permissum fuerit: nec uno alteròue die, sed ne per omnem qui- *scandala uitian* dem ætatis meæ cursum. Isthuc enim indicat quod ait, In æternum. Nec dixit, ut ne perdam, da. sed simpliciter, ne scandalizem.

CAPVT IX.

NONNE sum apostolus? Nonne sum liber? Nonne Dominum nostrum Iesum Christum uidi? Cum dixisset, Si esca scandalizat fratrem meum, non uescar carnibus in sempiternum: ne quis existimet eum superbire, ostentatoremq; agere, cogitur deinceps ostendere quomodo concessis abstinuerit, ne aliquos offenderet. Ipso enim Christo præcipiente, ut qui euangelium prædicet, ex euangelio, hoc est, ijs qui instituuntur, edat: ego malui *Matt. 10.* potius fame perire, nihilq; à uobis accipere, uerum manibus meis laborabam, operas, mihiq; *Act. 18. & 20.* alimoniam parans. Fuerunt enim & apud ipsos nonnulli, ut uidetur, diuites doctores, qui gloria sibi ducebant, erantq; in precio, quod citra sumptum aliorum docerent, hincq; Paulum pudefacere moliebantur: quod ipse intelligens, abstinuit (ut dixi) à discipulis ali. Porro cum mihi illud permissum esset, sic me gessi: uos uerò ne ab idolis quidem oblato abstinuistis. Sententia itaq; totius orationis hæc est, quam multis uersibus absoluit. Videamus autem singulas ordine dictiones: Num sum apostolus? Ne quis dicat, Non licet tibi, ac propterea non accipis mercedem: Quid, inquit, audio: an non alij apostoli accipiunt? Ne, inquit. Quid igitur? ego ne sum apostolus perinde ac illi? Nonne sum liber? hoc est, non habens quenquam qui me acci- *1. Cor. 4.* pere impediat. Ne uerò rursum dicerent, Alij apostoli te sunt excellentiores, quoniam Dominum uiderunt: ait, Nonne Dominum nostrum Iesum Christum uidi? Postremo enim omnium, tanquam abortiuo, uisus & mihi. Magnum enim erat ipsum per sese Christi fuisse spectatorem. *1. Cor. 15.* Vestri enim, inquit, beati oculi, quoniam uidetis quæ non uiderunt prophetæ & reges. *Matt. 13.*

NONNE opus meum uos estis in Domino? Si liber es & apostolus, nihil autem interim apostolo dignum transegisti, quid hoc iuuat? nam & Iudas apostolus erat, & Dominum conspexit. Eam ob rem, Opus meum, inquit, uos estis in Domino. Apostolicum itaq; ministerium impleui. Quia uerò rem arduam dixit, adiecit, In Domino: hoc est, non mea uirtute, sed Christi potentia.

SI alijs non sum apostolus, uobis tamen sum. Non dico me totius terrarum orbis esse doctorem: sed uester ne an non sum doctor? Quomodo igitur à uobis non accipi, quæ maxime me accipere oportuit? per concessionem autem argumentum hoc textit.

SIGILLUM enim apostolatus mei uos estis in Domino. Sigillum, hoc est demonstratio. Porro si quis scire uelit num sim apostolus, uos ostendo. Vos enim estis qui consignatis & stabilitis apostolatuum meum: cuncta nanq; apostoli opera in uobis commonstrauit.

MEA defensio erga eos qui me interrogant, hæc est. Quærentibus discere unde sit perspicuum me apostolum esse, hanc apologiam obijcio, uos nimirum. Ostendens nanq; uos in omnibus à me institutos ac doctos, repello ipsos interrogantes siue examinantes.

NUNQVID non habemus potestatem edendi ac bibendi? Videlicet à discipulis ista accipiendo. Atqui habemus potestatem, uerum ea non utimur.

NONNE potestatem habemus sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Diuites scemine comitabantur apostolos ut suppeditarent eis necessaria, omnem illis securitatem horum causa parantes, ut soli euangelij prædicationi uacarent. Animaduerte hic, quod summum apostolorum ultimo loco posuit, ceu maiorem: hoc uidelicet clam indicans, Ecquid, inquit, alios dico, cum ipse Petrus hoc faciat? Fratres autem *Fratres Domini* Domini appellat Iacobum Hierosolymorum episcopum & Iosen, & Simonem, & Iudam, qui *ni.* fratres Domini nominati sunt, eo quod Ioseph deiparæ uirgini Mariæ desponsus esset.

AUT solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi? Hoc est, non habemus potestatem, ut ociosi uiuamus, alaturq; ab ijs qui à nobis instituuntur discipulis, nihil operantes? Non occultauit autem Barnabam, quem norat communicare sibi in eadem circa Euangelium & laborem diligentia. Nam & ille ex operibus uiuebat suis.

QUIS militat stipendijs suis unquam? Hoc est, suis alimentis? Omnes enim qui militat, ex publico aluntur. Pulchrè autem quæ militis sunt, prius posuit. id enim apostolicæ functioni conuenit, periculorum nomine quæ in ea sunt, ac propter bellum spiritualium hostium. *Christianorum milita.*

Doctores populi paucis contenti sint.

QVIS plantat uineam, & de fructu eius non edit?] Hoc exemplo laborem & ingentem calamitatem atq; curam indicauit. Non dixit autem, totum fructum edit: sed, de fructu. Neq; dixit, Quis non ditescit ex fructu? sed, Non edit: ubique quod ad usum & necessitatem pertinet, quærere admonens, non quod superfluum est.

QVIS pascit gregem, & de lacte eius non edit?] Non dixit quod uendat pecudes, eas uedat, aut uniuersum lac, sed de lacte: ostendens quod modica consolatione ac alimento doctorem contentum esse oporteat, ac necessario uictu. Multam autem curam indicauit per pastorem, seu opilionem, quam doctori inesse par est.

NVN QUID secundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit?] Hoc est, nõne humanis hæc probationibus & exemplis solis constant, nec habeo scripturæ testimonium? Possum equidem demonstrare quod Deo hæc etiam placeant: siquidem & lex, quæ non est humana, sed diuina, hæc præcipit.

Deut. 25. SCRIPTVM est enim in lege Moyfi: Non alligabis os boui trituranti.] Ex abundantia, quod uult, confirmat, unde & bouum exemplum profert.

1. Tim. 5.

NVN QUID de bobus cura est Deo?] Quid igitur? Nõne curæ sunt Deo boues? Certè profectò: atqui non ea ratione, ut leges de ijs sanciat. Aliud itaq; quiddam per clemetiam erga bruta adumbravit, exercēs nimirum Iudæos studio, & amore quo in doctores esse decet. Hinc porrò discimus, quod quæcunq; in ueteri testamento de ratione uacantibus pecoribus scripta sint, ad hominum institutionem conducant.

AN propter nos hæc omnino dicit? propter nos enim scripta sunt.] Omnino, quasi de re minimè dubia posuit, ut adeò nihil auditori relinqueret, quo contradicere possit.

QVONIAM in spe debet, qui arat, arare.] Hoc est, præceptoris est arare & laborare spe compensationis retributionisq;.

ET qui triturat, ut sit particeps spei suæ, in spe.] A femine ad aream transit, multos apostolorum sudores inde ob oculos ponens. nã & ipsi arant, & aream frugesq; terunt. Iam qui arat, sperat tantum: qui uerò triturat, iam etiam aliqua re fruitur. Vnde dixit, Qui triturat, ea spe triturat, ut fructus quippiã ex labore suo auferat. Ne quis igitur dicat, Quid ergo? tot tãtorumq; sudorum hanc solam pensationem das Apostolis, ut alantur? adiecit, In spe, futurorum uidelicet bonorum. Proinde oportet & illa sperare, & interim alimonia tamen non planè destitui.

SI nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia metamus?] Rei iustitiam & æquitatem hic ostendit. Non enim paria redditis pro ijs quæ accepistis. Nos enim spiritualia uobis seminauimus, uos autem carnalia nobis redditis. Magnum igitur hoc est?]

Doctores uani.

QVOD si alij potestatis uestre participes sunt, nõne potius nos?] Vanos quosdam hic doctores notat, qui impudèter & cum autoritate accipiebant ab ipsis alimonia. Quare neq; dixit, si alij accipiunt, sed si potestatis uestre participes sunt, hoc est, dominantur uestri, imperium in uos exercent, ceu seruis uobis abusi sunt. Non multo magis igitur nos, qui uerè sumus apostoli?

SED non usi sumus potestate hac.] Potestatem, inquit, habentes ut à uobis aleremur, non sumus. usi ea, ut non offenderemini: & uos ne ab idolorum quidem oblationibus abstinetis, ne imbecillioribus fratribus scandalum ponatis.

SED omnia sustinemus, ut ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.] Ne quis dicat, Quia non egebas, ideo nihil accipiebas, inquit: In ingenti angustia constituti, omnia tamen sufferimus, & sitim, & nuditatem, ut ne aliquod obitaculum Euangelio contingat, hoc est, exigua & uulgaris reiectio & retardatio Euangelij, adeoq; uerbi ministerij.

Deut. 18.

NESCITIS quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt?] Priorib; locis non contentus, alia ex lege in medium depromit: commonstrans, quod licuerit sibi à discipulis accipere. Cum enim de bubus per allegoriam quædam producta per eum essent, legem palàm tradere ait, quod ex sacro sacra facientes edere debeant, hoc est Leuitæ, sacerdotibus gradu inferiores. Non dixit autem, ex adferentibus edunt, sed ex sacro, neque accipientes pudeant, ut qui ab hominibus alantur, neq; dantes nimium attollantur.

Leuitæ.

QVI altari assident, cum altari participant.] Hoc est, pontifices & sacerdotes. Continuum autem seruitutem & perseuerantiam, per assersionem indicat. Nec dixit quod sacra accipiant, moderationem innuens, quodq; pecunias colligere non oporteat. Nec dixit, ut à sacrificantibus accipiant, uerum cum altari sint participes. Oblata nanque non porrò offerentium fuerunt, sed sacri & altaris. *ovumq; serui*, id est, simul participant, dixit: quoniam uictimarum sanguinis quiddam effundebatur ad aram, & adeps cremabatur: carniuum uerò partem quandam accipiebat sacerdos, ueluti pectusculum, dextrum armum, & uentriculum. holocausta quidem solius altaris erant.

Sacerdotum in sacrificijs portio.

Deut. 18.

Matt. 10.

ITA & Dominus ordinauit, ijs qui Euangelium annunciant, de euangelio uiuere.] Omnium fortissimum posteriore loco posuit. Quid enim, inquit, hæc atq; talia dico? Dominus sic ordinauit, legem sanciens, quæ ueteris testamenti legibus respondeat & consentiat. Quemadmodum supra dixit edere ex sacro, simili ratione hic non ex discipulis, sed ex Euangelio edendum docet, ut ne efferantur alentes. Nõ enim dixit, alis ipsum, uerum opus eius nempe Euangelium. Et uiuere dixit, non negociari, neq; thesauros colligere.

A EGO uerò nullo horum sum usus.] Hoc est, neq; quopiam exemplorum quæ commemo-
raui, ueteris testamenti: neq; Christi mandato, ut à uobis alerer, sum usus.

NON autem scripsi hæc, ut ita fiant in me.] Ne quis ipsi dicat, Quid est quòd hætenus non
sis usus, cum in posterum uti in animo instituas? propterea enim hæc dicis: actutum isthuc an-
teuertit per correctionem, Non scripsi hæc, ut sic fiant in me, hoc est, ut accipiam deinceps.

BONVM est enim mihi potius mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet.] Ego perire
potius optarim fame, inquit, quàm quòd euacuet quispiam, hoc est, uanam & uacuam osten-
dat gloriationem meam. Forsan enim aliquis dicere potuisset, Reuera nihil quidem accepit,
atqui mærens ac lugens, non accipiebat. Tantum igitur, inquit, abest ut eam ob rem contri-
ster, ut & idcirco gloriar.

SI enim euangelizem, non est mihi gloriatio: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem
mihi est, si non euangelizauero.] Quid ais? non tibi gloriæ loco ducitur, prædicare Euange-
lium? sed citra aliorum impensas ac sumptum prædicare, tibi gloriæ est. Nunquid hoc illo ma-
ius est? Minime, inquit, sed euangelium annunciare, est præceptum Christi, ac debitum: at si
hoc perficiam, nihil est à me præclarè & eximie factum. Væ enim mihi, si isthuc mandati non
expleam, neq; transigam: cædar nanq; plagis multis, quippe qui mandato Domini non sum
obsecutus. Citra aliorum uerò sumptum Euangelium promulgare, uoluntatis ac deliberatio-
nis est propriæ honos atque liberalitas, ac propterea gloriatio est. Porro quod ait, Necessitas
mihi incumbit, nõ ad liberi arbitrij sublationem libertatis ue pertinet, cæterum ad oppositio-
nem libertatis in accipiendo dictum est, ac propter pænæ metum, si id non efficiat.

*Euangelij græ-
uita annuncia-
tio laudabilis.*

SI enim uolens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.]
Si, inquit, prædicatio euangelij non esset mihi demandata, àque meipso isthuc facerem, habe-
rem equidem mercedem magnam & multam. Quòd si mihi commissum est: perspicuum est
quòd à meipso hoc non faciam, sed Domini mandatum impleam. Hoc enim est quod ait, in-
uitus. Quocirca isthæc res non est honoris ac liberalitatis: dispensationem namque mihi cre-
ditam administro. Animaduerte autem, quòd non dixerit, Si autem inuitus, mercedem non
habeo: indicans quòd habeat quidem mercedem, etiam in promulgando Euangelio, si herile
mandatum impleat. Absurdum enim esset, si apostoli omnes non reciperent mercedem ob
prædicatum euangelium. Veruntamen non est huiusmodi merces, qualis eius est qui gratis
citraq; sumptum aliorum prædicauit.

QUAE igitur est merces? ut Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium
B Christi, ut non abutar potestate mea in euangelio.] Hoc est, maior est merces, dignaq; gloria-
tione, ut non abutar potestate, id est, omnino utar. Simplicem enim usum *uere dicitur, quod* adpella-
uit. Vbiq; autem causam hanc potestatem nominat, quo ostendit quòd neq; accipientes pec-
carant quicquam. In Euangelio autem dixit: uti ob oculos ponat, eum qui Euangelij ministe-
rio fungatur, adeoq; labore, accipere debere, non eum qui ociosus sit, torpeatq;.

*Euangelij præ-
co mercedem
accipiat, non
qui ocio torpet.*

NAM cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, ut plures lucrificerem.] Quod
maius & uehementius est, dicit. Non solum, inquit, non accepi, etiamsi potestatem haberem:
uerum etiam liber cum essem, & nemini subiectus, neq; necessitatem habens, omnibus tamen
meipsum in seruitutem redegei: non uni aut duobus, sed uniuerso terrarum orbi: non ut ueluti
adulator placeam, cæterum ut plures lucrificiam. omnes enim impossibile.

ET factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrer.] Hæc dicit, quia circumcidit
Timotheum. Non dixit autem, Iudæus, sed ueluti Iudæus, ut ostendat quòd negocium ef-
fet dispensationis.

Act. 16.

IIS qui sunt sub lege, quasi sub lege esse, ut eos qui sunt sub lege, lucrer.] Profelytos intel-
ligit, uel eos qui ex Iudæis Christi religioni accesserant, & adhuc tamè lege detinerentur. Facta
autè sunt hæc quando rarus est, quando quæ ad sanctificationem attinent, obtulit. Hæc autè per
dispensationem faciebat, & in speciem præ se ferebat, ut qui reuera ista facerent, corrigeret.

ILLIS qui sine lege erant, tanquam sine lege essem.] Lege carentes eos accipit, qui Mosæ
legem non tenebant, qui ex gentibus erant, qualis erat Cornelius, quos frequentans & acce-
dens, infirmitati eorum acquiescebat, attemperabatq; se. Vel Græcos ipsos intelligit, ueluti
quando apud Athenienses disputaret, ab ara eorum argumento sumpto, cum illis colloquia
miscens, nec uelut de Deo Christo quicquam differens, sed tanquam de homine docens: non
enim tale quiddam audire poterat: sed ueluti de quopiam qui apud eos in numerum deorum
relatus esset. Huiusmodi enim esse putabant, qualis est Hercules, uel Aesculapius. Vbiq; au-
tem particula Tanquam, est præposita, uti discas quòd talia in speciem ostentari & præ se tu-
lerit, cum tamen reuera non sit.

Act. 10.

Act. 17.

*Pauli apud
Athenienses dis-
putatio.*

CVM sine lege Dei non essem, sed in lege Christi, ut eos qui sine lege essent, lucrificerem.]
Ut ne existimes quòd sententiam mutarit, cum ad exleges disputaret: cum non essem, inquit,
absq; lege Dei: quasi dicat, quum non essem extra Dei leges, sed in lege: nec simpliciter in lege,
uerum in lege Christi: hoc est, uetere lege altiore, & præstatiore habens, Christi nimirum.
Ecquæ inde commoditas? Ut lucrificiam, inquit, eos qui sunt sine lege.

FACTVS sum infirmis tanquam infirmus, ut infirmos lucrificerem.] Perinde ac nunc uo-
bis factus sum infirmus ob imbecillam uestram scandalisq; facile obnoxiam metem, cum no-

lui à uobis mihi sumptum suppeditari. Quinetiam ubi conspexeris eum non palam uel de filiij deitate, uel de spiritus diuinitate differentem, ob auditorum infirmitatem noueris ipsum tum fieri infirmis tanquam infirmum.

OMNIBVS factus sum omnia, ut omnino quosdam facerem saluos.] Ecquid multa enu-mero: Omnib. me attemperauit. Atqui non omnes in uniuersum seruare, saluos ue facere expe-cto, uerum ut paucos saltem saluos facerem, quod & admirabilius est. Si quis enim magno sese fructu atq; emolumento laborare speret, non adeo admirandum. Atqui exigua rei gratia, modiciq; fructus causa laboribus se defatigare, est arduum. Omnino autē apposuit, consolatio-nem præbens docentibus. Etiam si enim nō omnes quispiā conseruet, omnino tamen paucos quosdā conseruabit. Quocirca omnis torpor est eiiciendus, neq; segniter in uerbo laborandū.

*Euangelium
quos dicat fide-
les.*

HOC autem facio propter euangelium, ut particeps eius efficiar.] Euangelium dicit fide-les qui per euangelium seruantur, quemadmodum & supra dixit, ex euangelio uiuere, pro, ex credētibus. Ut igitur, inquit, cōsors fieri coronæ fidelium possim, propterea hæc facio: nō quod ipse pro mercede hæc faceret, uerum ut illis persuaderet omnia pro fratribus facere spe bono-rum supernorū. Considera autē hīc humilē Apostoli mētem, quomodo prima adeoq; summa corona dignus, simpliciter fidelibus se ipse adæquat in cōmunicatione bonorū atq; coniungit.

Brabeum, uictoria.

NESCITIS quod qui in stadio currūt, omnes quidē currunt, sed unus accipit brabeum.] Postquam demonstrauit operę precium esse, ut sese omnibus fratribus attemperent, deinceps iam horribilius cum ipsis loquitur. Quod autē ait, huiusmodi est: Ne existimetis quod simul-atq; credidistis, & in ecclesiæ stadium ingressi estis, isthuc uobis ad salutem sufficiat: quemad-mōdū neq; Olympicis cursoribus satis est currere, uerum necesse est ad ipsum usq; brabeum festinare, omniaq; facere ut hoc assequantur: quod periculū est ne uos non adipiscamini, dum propter scientiæ scilicet perfectionem fratres contempnit, idolothytiq; farcimini.

SIC currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui certat, ab omnibus se abstinet.] Debe-tis, inquit, currere, ut comprehendatis. Hoc autem citra charitatem non fit, quam uos non ha-betis, etiam si perfectos uos putetis, quod minimē uobis contigit. nondum enim apprehendi-stis. Obscurē autem significans quod multis adhuc destituantur rebus, multaq; eis desint, ceu gastrimargia apud eos regnante, fornicatione itē atq; temulentia, inquit: Qui certat, ab omni-bus se abstinet, non ab hoc sibi temperans, ab illo uerō non, sed ab omnibus. Agnoscite igitur quantum uobis desit, disciteq; modum per quem coronemini, nempe si temperantes sitis.

ILLI quidem, ut corruptibilem coronā accipiant, nos uerō incorruptibilem.] Argumen-tum est rubore suffundens Corinthios & auditores. Siquidem illi ob corruptibilem coronam D abstinent: nos uerō hoc non facimus ob incorruptibilem.

EGO igitur sic curro, non quasi in incertum.] Quid est, nō in incertum? Cuncta nimirum certa finis scopiq; consideratione faciens, cum circuncidens, tum rarus, nihilq; temerē ac fru-stra admittēs, quemadmodum uos. Quis enim scopus est esus idolis oblatorum, alijs inde pe-reuntibus? nullus omnino. Proinde citra rationem uos hoc facientes, curritis incertē, citraq; scopum, & frustra. Optimi uerō præceptoris instar seipsum in medium statuit exempli uice.

SIC pugno nō quasi aerem uerberans.] Habeo enim quem feriam, nempe diabolū. Vos autem ipsum non feritis, sed frustra perfectione fidei scientiæq; usi estis.

Hypopia.

Corporis tyranni.

VERVM castigo corpus meum, & in seruitutē redigo.] Indicat eos hic gastrimargia uen-trisq; ingluuie detentos, eamq; perfectionis prætextu curare ac fouere. Ego igitur, inquit, om-nem sustineo laborem, ut sobriē uiuam. *ὑποπιάσω γάρ*, hoc est, pugno: *ὑποπνία* enim dicuntur uulne-ra quæ sub oculos infliguntur dum pugnis contenditur. Certamen igitur magnum & ingens, quod est aduersus naturam, indicat. Tyrānis enim maxima est corporis, & aduersarius, inquit, magnus ipsum corpus. Simulatq; uerō pugno dixit, & uulnerum ineminit, statim intulit, & in seruitutem redigo: ut discas quod nō sit necesse strangulare ipsum uel suffocare: sed ueluti esu frenem seruum humiliare atq; subdere, quod domini est, nō hostis. Nonnulli uerbum *ὑποπνιάσω* magis propriē dictum putant pro eo quod est, fami trado corpus meum, inediaq; ipsum adfli-go. Verum ea interpretatio nullius est momenti: oporteret enim esse *ὑποπνιάσω*.

NE quo modo cum alijs prædicauerim, ipse reprobos efficiar.] Per hoc eos magis sobrios reddit. Si enim mihi, inquit, non satis est ad salutem prædicare ac docere, nisi me ipsum irre-prehensibilem in omnibus præbeam: quī uos ex sola fide salui eritis, tot tantisque adfectio-nibus succumbentes?

C A P V T X.

NOLO autem uos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, & om-nes per mare transferunt.] Commemorat quātis donis Iudæi à Deo donati sint, mon-stratq; post tanta dona plerosq; nō placuisse Deo. Hęc autē dicit innuens quod quemadmodum illis non profuit tantis frui donis, quando quidē quæ suarum erāt partium ipsi non adiecerint adhibuerintq;: hanc ad rationem neq; uobis fides proderit, & quod spiritualibus mysterijs donati estis, nisi & uos ipsos dignos exhibueritis Dei gratia. Omnes, inquit, sub nu-be fuerunt. Expandit enim nubem in protectionem ipsis, & per mare transferunt.

psalm. 104.

ET omnes in Mosem baptizati fuerunt in nube & in mari.] Hoc est, cum Mose participes fuerunt umbræ quæ ex nebula prouenit, transitusq; cū ipso maris fuerunt cōsortes. Cum enim ipsum

A ipsum primum transire uiderunt, ausi sunt & ipsi aquis sese credere. Quemadmodum & nostris temporibus primum Christo pro nobis mortuo & excitato baptizamus, & ipsi in morte ipsius, per immersionem in aquam, & resurrectionem eius, dum denuo emergimus & extrahimur. In Moysen igitur baptizabantur, hoc est ipsum ducem habuerunt Christi baptismatis figuræ. Figura itaque baptismatis erat, cum quod sub nube esset, tum quod mare rubrum transfret.

ET omnes eandem escam spirituales manducarunt, & omnes eundem potum spirituales biberunt. Perinde ac nos post baptismum corpus Dominicum manducamus, sic manna ipsi post traiectionem per mare manducarunt. Et quemadmodum nos sanguinem Domini bibimus, sic illi à summe cæsa petra aquam scaturientem biberunt. Spiritualia autem hæc dicit, quod etsi sensibilia fuerint, naturali tamen consecratione facta non sint, sed gratia spirituali: unde & cum corpore animas aluerunt, atque ad fidem perduxerunt.

Spiritualia quod fuerint Moysi ca.

BIBEBANT enim ex spirituali sequente eos petra, petra autem erat Christus. De alimonia seu cibo nihil opus erat ut quicquam confirmaret. planum enim erat quod cœlitus paratus esset, atque naturæ uia planè alienus esse animaduertetur. In potu uero, quoniam suppeditationis ratio sola nouata esset, opus erat ut non nihil confirmaret. Non petra igitur natura, inquit, aquam præstabat, nam & antehac scaturire isthinc aqua debuisset, si in eius hoc natura fuit: uerum alia quæpiam petra spiritualis hoc totum efficiebat, Christus uidelicet. Sequente autem dixit: ut ostendat, Christum ubique illis præsentem fuisse, atque isthæc mirifica omnia transegisse.

Exod. 17.

SED non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Etiam si haud parum multa euidentissima dilectionis suæ argumenta illis Deus cõmonstrauerit, tantisquæ eos exornarit bonis, attamen non est oblectatus in plerisque ipsorum, id enim significat *id est, id est, oblectationem habuit.* Non enim omnes reprobati sunt, sed bona pars. Cum in pluribus dicit, ostendit quod nihil profum eos iuuerit multitudo, quandoquidem charitatè suam non exhiberent erga benefactorem. Per prostrati sunt autem, uniuersum eorum interitum, diuinitusque superinductas pœnas significat.

Christus Moysi ubique præsens Num. 26.

HÆC autem figuræ nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Perinde ac beneficia Dei, typi fuerunt, hanc ad rationem & pœnæ. Indicat autem quod non solum pœna adficiuntur, uerum quod maiore etiam pœna adfliguntur quam illi, quatenus illa quidem typus extitit, hæc uero res ipsa & ueritas. Ac quemadmodum in donis est excellentia, sic & in pœnis. Concupiscentes porro malorum dicens, uniuersim ac generatim de quauis malitia loquitur: quandoquidem & omne uitium ex concupiscentia profluat. Dein de speciatim etiam malitias istas exprimit. Ecquid illi expetiuerunt? allium, carnes, proprios deos, perinde ac ipse deinceps idololatriam ipsorum patefacit.

NEQVE idololatræ efficiamini sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sed *Exod. 32.* populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Primum eos notat & carpit qui in idolorum delubris epulabantur, ostendens quod quemadmodum illi à gastrimargia ad idolorum culturam delapsi sint: choros enim statuentes circa uitulum ludebant ante ipsum: sic periculum est ne & uos ad idololatriam prouoluamini, quum ex gula suauis idolis immolata editis. Vbinam igitur perfectio tua, si ad idololatriam perduceris?

NEQVE fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt uno die uigintitria millia. Rursus scortationis meminit ex continuitate reprehensionis perfectiorem orationem faciens. peccatum autem istud à gastrimargia proficiscitur. Quando uero uigintitria millia ceciderunt? Quando iuxta consilium Balaam, Madianitides mulieres apud exercitum copiasue Israeliticas uisæ, iuuenes ad sese pertraxerunt, atque per scortationem, ut sacrum facerent Beelphegor prouocarunt eos, ac cecidit populus in acie. *Num. 25.*

NEQVE tentemus Christum, quemadmodum & quidam ipsorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Innuit Corinthios signa expetiuisse. *Num. 21.*

NEQVE murmuretis, ut quidam ipsorum murmurarunt, & perierunt ab exterminatore. Hoc est, uirtute quæpiam pœnam infligente. Subindicat clanculum quod in tentationibus impatientes fuerunt, nec eas æquo animo pertulerint, sed murmurauerint, dicentes: Quando uenient bona? & quandiu duratura est afflictio? *Num. 14. 16.*

HÆC autem omnia in figura contingebant illis. scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Terret eos, cum dicit isthæc scripta ad correptionem nostri. Unde & nobis in posterum sunt expectanda supplicia: eo quod horribilia, quatenus maiora in nos beneficia sunt collata. Terret præterea, cum dicat finem ipsis imminere: ostendatque supplicia non esse temporaria, sed immortalia quæ post consummationem nos excipient. iam enim iudicium in foribus, quum mundi ætates transferint. *Iudicium Dei præ foribus.*

ITAQVE qui se existimat stare, uideat ne cadat. Rursum scientiæ nomine intumescentes notat. Si enim te stare existimas, metue, inquit, ne cadas. Neque ipsum sanè confidere, quod stes, stare est: uideris enim, sed reuera minimè stas: ac etiam si maximè stes, facilis est per arrogantiam lapsus.

TENTATIO uos non capit nisi humana. Fidelis autem Deus qui non patietur uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Quia perterrefecit eos dicens, Qui se existimat stare, uideat ne cadat: essent uero qui non paucas iam

Humanum, mo
dicum.
Mat. II.

tentationes sustinissent ne dicerent, quid nos perterrefacis? multas enim perpessi tentationes, non tamen succubimus: ait, Non cepit uos tentatio nisi modica & moderata. humanum enim ubiq; modicū uocat. Deinde rursus consolatur, persuadens eis ut in Deum intueantur, qui fidelis est, hoc est, uerus, nec mentietur unquā. Promisit enim, Venite, inquit, qui laboratis, & ego reficiam uos. Non sinet igitur uos tentari ultra uires uestras, sed tentationem uiribus uestris tolerabilem adoriri uos faciet. Imò quæuis tentatio uires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis, & felicem euentum præbeat, hoc est, liberationē à tentationibus, cum tentatione, hoc est, celerem, & simulatq; nos inuaserit tentatio. Ita ut propter celerem liberationem ea nobis tolerabilis efficiatur. Faciet enim exitum, inquit, ut uos sufferre queatis: hoc est, ut facilis uobis uideatur tentatio, adeoq; huiusmodi quam sustinere ualeatis.

PROPTEREA fratres mei fugite ab idolorum cultura. Abundè satis eos haftenus carpsit, ideo in posterum curam iuxta & medicinam adhibet, fratres eos uocans. Non autem porò ob fratrum noxam & offendiculum ab idolothytis eos arcet, sed ipsam in sese rem uituperat & reprehendit, idolorum culturam nominans, ac celerem iuxta ab ea secessum aut declinationem postulans. Fugite enim, inquit.

TANQVAM prudentibus loquor, iudicate uos quod dico. Quia magnam illis culpam attribuit, notamq; inuisit, idololatriam nominans quod patrabant, uerbi istius asperitatē mitigat, ipsosq; reos iudices constituit, quod confidentis est proprijs ratiocinationibus ceu ueræ sint. Non opus habeo, inquit, alijs iudicibus, uos tanquam prudentes iudicate.

Calix benedictionis.

CALIX benedictionis, cui benedicimus, nonne cōmunicatio sanguinis Christi est? Calix benedictionis, id est eucharistiæ. Manibus enim eum tenentes, benedicimus ei, & gratias agimus ei qui sanguinē suum pro nobis effudit, ineffabiliaq; bona in nos contulit. Non dixit autem *μετοχὴ*, id est participatio, sed *κοινωνία*, id est cōmunicatio, ut aliquid excellentius indicet, summam puta unionē. Quod aut dicit, huiusmodi est: Hoc quod in calice est, illud est quod ex latere effluxit Christi. Et ex eo accipientes, cōmunicamus, hoc est unimur Christo. Nō pudet itaq; uos Corinthij ad idolorum calicem accurrere, à calice hoc, qui nos ab idolis liberauit?

PANIS quem frangimus, nonne cōmunicatio corporis Christi est? Quod in cruce non est passus Christus, (os enim eius nullum est contritū) hoc iam sustinet, eum propter nos frangitur. Quem enim frangimus, inquit: cōmunio autē corporis Christi est, pro eo dixit quod est, Quemadmodū illud corpus Christo unitū est, sic & nos ipsi Christo per panem hunc unimur.

QUONIAM unus panis, & unum corpus multi sumus. Quia dixerat, cōmunicatio corporis est, cōmunicans autem est aliud ab eo qui cōmunicat: iam maius quiddam demonstrat, D inquit, Quoniā illud ipsum corpus sumus. Quid enim est panis? corpus Christi. Quid autē sunt absumentes corpus Christi: non corpora multa, sed unum corpus. Quemadmodum panis ex multis granis unus efficitur, sic & nos, multi cum simus, unū efficimur corpus Christi.

Carnis nostre
natura corrupta.

OMNES enim ex uno pane participamus. Itaq; etiā unum sumus. Quomodo igitur charitatem non obseruamus, & unum secundum hoc efficimur? Atqui Deus (inquit) propterea corpus suū nobis tradit, ut uniat nos cū erga seipsum, tum nos inter nos mutuo. Quia enim prior carnis nostre natura corrupta est à peccato, uitaq; destituta est, dedit nobis suam ipse impeccabilem, & omnis peccati expertem, uiuacem & uitæ plenam, similem tamen nobis carnē, ut eam assumentes, in ipsam permisceamur, & uiuamus citra peccatum, quatenus licet.

VIDETE Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, altaris sunt participes? Ex crasioribus exemplis, inquit, discite quòd idolorum cōmunio sit id quod à uobis geritur. Secundum carnem autem dicit Israel, quasi ipsi sint secundum spiritū. Reputa uerò tecum quòd nō dixerit de Iudæis quòd Domino communicent, sed participes, inquit, altaris sunt. Etenim comburebatur id quod aræ suprapositum erat. In corpore autem Christi non sic res habet, sed est communicatio corporis Christi. non enim aræ, sed ipsius Domini participes efficimur.

QVID igitur dico? Num quod idolum aliquid sit, aut quod idolis immolatum sit aliquid? Metuit ne existiment hæc dicere eum, quasi robur aliquod idolis insit. Non tanquam nocere possint uel prodesse idola, ab ijs uos abduco, neq; enim quicquam sunt omnino, uerū quòd non offeratur uictima Domino tuo. Infert igitur.

SED quòd quæ gentes immolant, dæmonijs immolent, & non Deo. Ne igitur accurrite ad hostes Domini uestri. Nam si regia dimissa mensa ad condemnatorum & captiuorum mensam accurreres, omnino peccatores, non quòd noceret illa quicquam aut iuaret, cæterū quòd iniuria isthæc uideretur mensæ regię.

NOLO autem uos participes dæmoniorum fieri. Si enim mysticam mensam participantes, Christo communicant: dæmonum mensam participantes, dæmonibus haud dubiè communicant.

NON potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Quia per modum adhortationis siue admonitionis dixerat, Nolo uos participes esse dæmoniorum, ut ne admonitio ista floccipendatur, per modū sententię & assertionis nunc posuit, Non potestis, inquit, calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.

NON potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Ex solis nominibus astruit non esse comedenda idolis immolata.

A AN protocamus Dominum? Nunquid fortiores eo sumus? Vt pudore eos suffundat, hæc dicit. Num tentamus, inquit, & læcesimus Deum? An ne punire nos possit, ad hostes eius secedentes? Deinde ad absurdum perducens orationem, Nunquid fortiores, inquit, ipso sumus? Vehementi autem eorum notatione & obiurgatione commonefacit eos uerbi Mosaici: Pro-
uocauerunt me in non Deo, ad iracundiam me concitauerunt in idolis suis. *Deut. 32.*

OMNIA mihi licent, sed nõ omnia expediunt. Ne quis dicat ei, cū pura conscientia edēs, Potestas mihi est ista facere. Certè inquit, Omnia tibi licent. Postquā tua tibi arbitrij libertas à Deo est, at nõ omnino tibi expedit uesci. Ea enim uia progrediens, propensionem nancisce-
ris ad idola, cum ita continuò mensæ eorum es consors. *Liberi arbitrij potestate non abutendum.*

OMNIA mihi licent, at non omnia ædificant. Neq; tibi prodest, inquit, sicut & antea dixi, neq; fratri tuo: ipsum enim non ædificat, quin potius destruit ac subruit fidem eius. Cum itaq; neq; te neq; fratrem adiuuet, quid hoc facis?

NEMO quod suum est quærat, sed quisq; quod proximi est. Ne quæras num tu pura conscientia uescaris, sed num fratrem tuum ædificet ea res. Vbiq; autem adhortatur ut quæ proximi sunt quæramus. *Proximi utilitas querenda.*

OMNE quod in macello uænit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Cū hætenus multis cõuicisset ac confirmasset abstinendū planè ab idolothytis, ne plus æquo hic curiosiores, imò supersticiosiores reddantur, adeò ut abstineant etiā ab ijs quæ in foro uæneunt, cum metuunt ne & ea sint idolothyta: Omne, inquit, quod uenditur, edite, non exami-
nantes uendentes, & interrogantes num idolothytum sit quod diuendant, tanquam conscientia uestra conseruati, quam hoc pacto purgare intendatis. Vel sic intelligere queas, Ne feriat conscientia tua, propterea ne examines. Fortasse nanq; si disquiras, rescisces idolis esse immolatum quod emere cogitas, & ferietur siue offendetur conscientia tua.

DOMINI enim est terra, & plenitudo eius. Non itaq; dæmoniorum. Quod si terra & fructus ipsi & arbores, uniuersaq; eius animalia, Domini sunt: nihil igitur natura est immundum, uerum ex cuiuslibet sententia immundum erit. *Psal. 23. Immundum natura nihil est.*

SI quis aut uocat uos infidelium, & uultis ire, omne quod uobis apponitur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Bene dixit, uultis: neq; enim ipse adhortari ad hoc neq; dehortari instituit aut decreuit. Nihil aut interrogate, ne sollicitiore cura, nimiaue curiositate exitimemini trepidare idola, utq; illæsam uestram retineatis conscientiam.

SI uerò quis dixerit, Hoc est immolatum idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & conscientiam. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Non ueluti à rebus noxijs tibi abstinere mando, sed propter eum qui indicauit, ut is non lædatur, atq; putet idolorum res haud reijci à Christianis. Nam quod non tanquā ab immundis, uel ab ijs quæ sint à Domino nostro aliena, hæc doceā, uel inde planū est: Dñi enim est terra, & plenitudo eius, hoc est, omnia ipsam replentia, & quæ ea cõtinentur. Vel hunc ad modum accipies: Abstine, inquit, à cibo isto. uniuersa enim terra Dñi est, ac licet tibi à supernis impleri. Nam cuncta tibi sunt aperta. *† ἀβύθου, fortè ἄλλοθεν, id est abundè.*

CONSICIENTIAM autem dico, non tuam, sed alterius. Hoc est Græci. fortasse enim quod dixi, offendetur, uel tanquam gastrimargum me iudicando, uel ceu eum qui æquè ac ipse idola excipiat.

VT quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Libertatè, ab obseruatione libertationem, & potestatem qua nihil nobis ciborum uetitum tenemus, appellat. Ego, inquit, libere, citraq; obseruationem uescor, Græcus uerò & infidelis me condemnabit, Fabula est, inquit, Christianorum religio. aiunt quidem idola sese execrari, & interim ijs quæ illis ipsis oblata sunt, uescuntur etiam auidè. *Libertas in Paulo quæ sit.*

SI ego cum gratia participo, quid blasphemor eius rei gratia, pro qua gratias ago? Ego, inquit, participo creaturas Dei, siue fruor illis liberè ob gratiā Dei, quæ finxit me cum firmum tum solidum, adeò ut nihil obseruem. At Græcus conuiciabitur mihi: tanquam qui simulem me idola fugere, contrā tamen per gastrimargiam eis immolata comedam. Quod adijcit, Pro quo gratias ago, huiusmodi est: Ego, inquit, gratias ago Deo, quod adeò me excelsum fecit, adeoq; Iudaica humilitate sublimiorem, ut ex nulla re lædar. Græcus autem, ut dixi, & incredulus scandalizatur, & blasphemat.

SIUE ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Omnia, inquit, facite ad gloriam Dei: quasi quæ nunc fiant à uobis, sint contumelia Dei, imò potius blasphemia. Manducat ergo quisquam uel bibit in gloriam Dei, quando neminem offendit, quando non ut gulosus aut uoluptatis sectator epulatur, sed uelut is qui corpus conseruare uelit ad uirtutis operationē. Simpliciter autem quancūq; rem in gloriam Dei quispiam agit, quando neq; aliū scandalo quopiam lædit, neq; seipsum, ut si nihil agat ut hominibus placeat, neq; prauo aliquo animi affectu. *Manducare in gloriam Dei.*

SINE offensione estote & Iudæis & Græcis, & ecclesiæ Dei. Hoc est, nulli ullam uituperationis occasionem præstare. Continget autem hoc, si neq; Iudæum, neq; Græcum offendamus, neq; fratres etiam: nam illi sunt ecclesia Dei. Obserua, quod maius est, ultimo loco protulit. Etenim alios ad fidem attrahere conuenit, nec interim tamen fratres negligere aut persequi. Indicat autem omnes ex hoc offensos, quod idolorum immolatis uescerentur.

SICVT & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant: imitatores mei estote, sicut & ego Christi.] Postquam magni quippiam illis imposuerat, reos eos faciens & Iudæorum & Græcorum noxæ, seipsum in medium protulit, ut ostendat rem haud esse difficilem. Quî uerò suum cōmodum nō quæserit, liquet ex multis quæ etiam antehac cōmemorauit. Omnibus, inquit, factus sum omnia. maximè uerò ex eo quod optauit anathema esse pro fratribus. Imitatores igitur, inquit, mei estote. Quod ait, Quæ admodum & ego Christi, ne putes arrogantem esse sermonem, uerum adhortantis potius ad imitationem. Si enim ego, inquit, Christum imitatus sum, quanto potius uos me imitabimini? Non enim ego tanto sum melior uobis, quanto ille me, qui omnes incomparabiliter antecellit & exuperat.

CAPVT XI.

LAUDO aut uos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi uobis præcepta tenetis.] Absoluto de idolothytis sermone qui de re ardua fuit, leuius nunc quoddam peccatū corrigit. Solet enim grauioribus uitij leuia etiam inserere. Ecquid isthuc erat? Fœminæ non uelato capite orabant, ac uaticinabantur: nam & fœminæ tunc prophetiæ dono claræ erant. Viri autem comam nutriebant, quippe qui in philosophia uersati essent, cum quando orarent, tum quando prophetarent. Hæc uerò græcæ consuetudinis erant. Quia igitur de hisce eos admonuerat, forsitan cum præstō esset, atq; eorum quidam obtemperauerant, nonnulli uerò haud obtemperauerant: de obedientibus inquit, Laudo uos, quod per omnia mei memores estis, mei q; meministis. Atqui inter cætera isthuc unum erat, de coma non nutrienda per uiros. Attamè per omnia, inquit, mei meministis. Semper enim sapienter mollibus uerbis, adeo q; laudibus consueuit compellere eos, de quibus spes est quod possint in meliorem statum redigi. Ex eo uerò quod ait, Quemadmodum tradidi uobis, traditiones continetis: perspicuum fit quod haud pauca sine scriptis tradiderint & ipse & reliqui apostoli.

Paulus non omnia literis tradidit.

VOLO autem uos scire, quod cuiuslibet uiri caput Christus est.] Videtur quantum ex consequutione colligitur, ad eos uerba facere, qui à se laudati essent, quod præcepta siue traditiones obseruassent, reuera autem eos qui non gesserant morem, corrigit. Cum porrò cuiuslibet uiri caput esse Christū audis, de fideli isthuc intelligas. Nam fideles nos sumus corpus ipsius, non autem increduli: quare nec caput illorum Christus.

CAPVT autem mulieris uir, caput uerò Christi Deus.] Caput uxoris maritus est, propterea quod dominetur in eam: Christi uerò caput Deus, quod sit eius causa, ut pater filij. Non oportet enim ea quæ de capite dicta sunt, ex æquo de Christo intelligere, uerum nostrum quidem & nostri caput est Christus, ut qui author & cōditor noster, & ut cuius corpus nos sumus. Christi autem caput pater est, ceu causa siue autor ipsius. Sin iuxta humanitatem accipias, sic dictum esse patrem Christi, perinde ac Christus dictus est caput nostrum, nihil impietatis admittis: quandoquidem & Deus pater Christi dicitur, secundum humanitatem. Quia enim nobis assimilari sustinuit, & frater noster dictus sit, & caput, nihil nouū est, si humiliationis & exinanitionis etiam nomina recipiat: ac eum qui iuxta diuinitatem pater est, caput habeat secundum humanitatem suam, tanquam principem & Deum suum.

Comæ nutritio.

OMNIS uir orans aut prophetans, in capite habens, deturpat caput suum.] Non semper prohibet uirum contegi caput, sed in oratione tantum & prophetia. Nec dixit, tectus caput, uerum in capite habens, ut auferat nedum uelationē quæ sit pallio, uerum etiam eam quæ sit coma. Nam qui comam nutrit, etiā in capite habet, comam uidelicet. Quî uerò deturpat siue pudefacit caput suum? Quia cum princeps sit, sui q; iuris, se ipse iugo subdit. Caput enim contegere, est potestatem capiti imponere. Nam capitis tegumentum, potestatem habentis seu dominatoris uice est, signum q; est subiectionis. Vel hunc ad modum, Pudefacit Christum caput suum, seipsum nimirū imminuens, ac libertate priuans. Ut enim exiguum corpus pudefacit caput, sic qui à Deo liber est factus, suo q; juri & libertati traditus, seipsum imminuit, ac ueluti sub potestate esset, ita se contegit: ad ignominiam isthuc uergit Christi qui est caput ipsius, tanquam corporis. Non fuerit autem abs re quærere cur ueluti culpam & peccatum isthuc Apostolus posuerit. Symbola tradita erant uiro & fœminæ: illi quidem ut dominaretur in coniugem suam, huic uerò ut esset subiecta: multa sanè & alia, inter quæ & illud erat, nempe ut hic aperto capite esset, illa uerò tecto. Quomodo igitur non est reprehensionis obnoxium, naturæ leges prætergredi, ac uirum quidem comam nutrire, mulierem uerò retecto esse capite? Hoc igitur tollit, ceu arrogantia & pertinaciæ signum, quæ non pauca sanè apud ecclesiasticos ac fideles & uastat & perdit. Inde nanq; hæreses subnascuntur, cum quod sibi uisum fuerit, producit quisq;.

Hæreses unde orientur.

OMNIS autem mulier orans aut prophetans nō uelato capite deturpat caput suum: unū enim & idem est, ac si rafa esset.] Fuerunt autem & fœminæ, prophetiæ (ut diximus) donum habentes, ut Philippi filiæ, aliæ q; permultæ. Quomodo uerò pudefacit caput suum? Quia fugitiuæ cuiusdam & transfugæ caput ostendit, ut quæ defecerit à tradita sibi à Deo potestate. Noueris autem quod uirum in oratione & prophetia uetet esse tecto capite, mulierem uerò non solis hisce illis temporibus, uerum semper. Hoc enim uult per hoc quod ait, Vnum & idem est ac si rafa esset. Ut enim ei semper turpe est raso capite uideri, consimilis deformitas est

aperto

A aperto capite cerni. coma nanq; tegumenti uice est. Proinde quæ tegumentum abijcit, ei quæ comam abiecit similis est.

SI enim non uelatur mulier, tondeatur etiam. Si autem turpe est mulieri tonderi uel radi, neletur. Immoratur eidem rei, ostendens refectionē istam non esse imparē rasuræ: ac quem admodum turpis res sit ac deformis rasura, sic & capitis refectione. Per hæc itaq; ut dixi, innuit nunquam non turpe esse, mulierem caput suum retegere uel nudare.

VIR quidem non debet uelare caput suum, quando imago & gloria Dei est. Primam quidem causam dixit, quòd Christum caput habeat, nec oporteat ipsum tegi: iam uerò & alterā rationē reddit, quòd gloria Dei sit, hoc est, princeps Dei, & imago ipsius. Est igitur operæ sanæ precium, ut princeps à summo rege & imperatore constitutus, cū signis ad principatū eius pertinentibus coram ipso appareat, aperto uidelicet & refectione capite. Ea enim apertura indicio est nulli terrenæ potestati hominē esse subditum, sed ipsum dominari omnium, ceu imaginem Dei.

*Capitis apertio
ra quid indicet:
Mulier uiri
gloria.*

MULIER autē gloria uiri est. Hoc est, mariti dominatui subdita est. Quare par est ut cum subiectionis suæ indicijs uideatur, quæ sunt contecto esse capite.

NON enim uir ex muliere est, sed mulier ex uiro. Etenim non est creatus uir propter mulierē, sed mulier propter uirum. Causas dicit quibus uir mulierem antecellit. Nam mulier ex uiri costa est, & quia uir nō est propter illam, sed illa uiri causa. Faciamus enim, inquit, adiutorium ipsi. Qui igitur uir contegetur, tanto honore à Deo adfectus? fœminæ enim habitum sibi arripit, ac perinde facit, ac si diadema suum arreptum ex capite abijciat, seruilēq; habitum & formam recipiat.

Gen. 2.

QUAPROPTER mulier debet potestatem habere in capite, propter angelos. Propter hæc omnia, inquit, prædicta, mulier in capite suo signum habere debet subiectionis suæ, tegumentum uidelicet, si nihil aliud, angelos tamen uerita, & honore dignans; ne & ipsis tanquam impudens uideatur. Vt enim obuelare caput, oculos demittere facit, & uerecundari, adeoq; subditi formam seruare: sic reuelato capite ingredi, impudentiam declarat, quam & Christianos comitantes angeli execrantur. Clemens uerò Stromatensis per angelos curiosus ecclesiæ iustos intellexit ac probos uiros. Obueletur enim, inquit, ne hos ad fornicationem illiciat uel scandalizet.

VERUNTAMEN neq; uir sine muliere, neq; mulier sine uiro, in Domino. Hæc adijcit, quia plurimum excellentiæ ac dignitatis uiro dederat, cōmonstrans quòd mulier ex ipso, & propter ipsum sit primū cōdita, & sub ipso sit. Ne igitur maritos plus quàm par sit efferat, neq; illas planè abijciat: reuera, inquit, ex prima creatione sic res habet quòd mulier sit ex uiro. Nunc autem neq; uir sine muliere nascitur, ueruntamen in Domino, hoc est, Deo uniuersum faciente, & uiuificante semen, matricemq; confortante.

NAM sicut mulier de uiro, ita & uir per mulierem. Mulier quidem, inquit, ex uiro est: adhuc enim apud uirum permanet hoc integrum, mulierem ex ipso esse. Vir autem est per mulierem, id est, mulier est administra generationi hominis: potior autem seminis est operatio, ita ut uir non proliè dicatur ex fœmina esse, sed ex patre suo per mulierem, ut quæ fuerit ministra ad generationem. De Domino autem Paulus non sic dixit, sed natum ex muliere ait. Metuit enim uti præpositione per, de Christo loquēs, ne locū daret hæreticis calumniandi, quòd Christus per uirginem ceu siphonem aut canalem transferit; uel ut indicaret apostolus, quòd quia nullo uiri congressu, fructus uentris ipsius erat.

*Mulier ex uiro,
uir per mulierem.*

OMNIA autem ex Deo. Non uiri, inquit, opus est, sed Dei. Quòd si omnia Dei potentia fiant, ipseq; ordinauit uirorum & mulierum res, & negocia, ne contradic, sed obtempera.

INTER uos ipsos iudicate. Rursum eos iudices facit eorum quæ dicit, abundè & copiose astruens quod instituit.

DECEt mulierem non uelatam orare Deum? Hic horribilius quicquam indicat, nempe quòd ad Deum iniuria recurrat.

AN ne natura quidē ipsa docet uos, quòd uir quidem si comā nutriat, ignominia est illi: mulier autē si comam nutriat, gloria est illi? Nam coma pro uelamine ei data est. Ecquid est ignominia uiro, si comā curet? Quia mulieris habitum & formā assumit, cumq; sit princeps constitutus, subiectionis signū recipit. Mulieri autē coma est gloriæ, quoniā proprium ordinem & institutum seruet. Cuius autē in gloriam cedit sui status obseruatio. Quid uerò necessum est aliud adhuc operimentum naturali isti peplo comæ apponere, si coma est uelamentum? Vt nō ex sola natura, uerumetiam ex consilio & uoluntatis electione subiectionem fateatur.

*Coma uirum
dedecet.*

SI quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinē non habemus, neq; ecclesiæ Dei. Cōtentionis hoc est, reluctari in huiusmodi, sed nō est rationis uel intellectus. Cū enim forsā Corinthij sapientes uideri uolentes, opponerēt sese per suos syllogismos & argumenta, quibus rem mediam & indifferentem demonstrare nitebantur: Nos, inquit, talem consuetudinē non habemus, siue ita altercandi, siue quòd uir quidem comam nutriat: mulier uerò non obuelatum caput gerat, imò ne aliæ quidem ecclesiæ Dei. Proinde non nobis solis aduersamini, sed uniuerso iuxta orbi. Hæc porrò rubore Corinthios suffundunt, auditores compellentia, ne quicquam præter apostolicam consuetudinē faciant.

HOc autē præcipiens non laudo. Quemadmodum qui primū crediderant communia omnia

Christianorum
omnia olim cō-
munia.

omnia habentes, communiter & publicè epulabantur: sic per quandam eius rei imitationem, C etiam si nō adeo exactam, Corinthij statis quibusdam diebus festis ex æquo publicè conuiuabantur post mysteriorum participationem. Siquidem opulenti fercula adferebant, inopesq; ad conuiuium isthuc accersebant. At per dissensiones admirandus ille ritus, quo mutua charitas, & Christiana philosophia continebatur, corruptus est, nec ab omnibus seruabatur. Scribit igitur Paulus, ut hoc corrigat. Porro in præcedenti delicto, cum multos obedientes haberet, Laudo uos, inquit: hīc uerò secus habente re, Hoc autē præcipiens nō laudo, ait. hoc est, nō laudo uos quòd omnino hac de re præcipiam uobis, uosq; adhorter. Conueniebat enim ut per uos ipsos intelligentes, neq; peccaretis omnino, neq; præcepto indigeretis.

QVOD nō in melius, sed in deterius cōuenitis.] Decebat uos in melius pergere & progredi, conuentusq; uestros facere liberaliores: uos autem consuetudinem quæ obtinuerat apud uos, imminuistis. Ac conuenitis quidem in una ecclesia: nec tamen ut simul cœnetis. Hoc igitur est quòd deterius est & minus, in quo deficitis.

PRIMUM quidē cōuenientibus uobis in ecclesia, audio schismata inter uos esse.] Non statim sermonē de mensis infert, sed prius eos ferit quòd schismata inter eos essent. nam reuera quia dissecti erant, & diuisi inter sese, idcirco priuatim unusquisq; edebat.

ET ex parte credo.] Ut ne dicāt, Quid enim si mentiuntur calumniatores nostri? Neq; credo dixit, ut ne impudentiores faciat: neq; non credo, ne uideatur eos frustra obiurgare: sed parum quiddam credo, inquit. Simul tamen uerisimile est neq; omnes morem istum transgredi, sed ex parte quosdam.

Oportet. OPORTET enim & hæreses inter uos esse.] Non dogmatum hic hæreses dicit, sed schismatum huiusmodi ac dissidiorum quæ de mensis exoriebantur. Quid uerò est, oportet? pro, possibile est, uel necesse est uos, cū homines sitis, non omnes rectè ingredi. Ob eam igitur rem etiam credo: perinde ac Dominus etiam dixit: Necesse est uenire scandala. hoc est: Cum prauis sint in mundo & scelerati multi, non possunt non esse & uenire scandala.

VI. UT qui probati sunt, manifesti fiant in uobis.] Coniunctio ut, hīc non est ætiologica, non reddit rationem, sed ad rei euentum & exitum pertinet, ut non in paucis locis planum reddatur. Quum enim arrogantiores communem istam cœnam non acciperent, manifestabantur probati, id est pauperes, quòd patienter ferant sese negligi: antea autem non apparebat perseverantia eorum. Vel probatos dicit eos, qui morem cœnæ adhuc custodiebant, non enim eum omnes dissoluerant. Cum igitur dissoluentes reprobi apparerent, obseruantes manifestantur ceu probati.

CONVENIENTIBVS igitur uobis in idem, non est dominicam cœnam manducare.] Conuentus, inquit, charitatem indicat & collectionem uel coniunctionem: atqui opere ea hodie coniunctio non fit. Dominicam cœnam autem conuiuium uocat quo multi simul uescuntur, ueluti imitationem illius horribilis & admirandæ cœnæ, qua Dominus simul cum discipulis suis manducauit. Propterea & cœnam prandium ipsum uocauit. Videte igitur, inquit, quòd orbemini, nimirum imitatione mensæ dominicæ.

Cœna Domini
ca conuictus.
Prandium cœ-
næ nomen cur
accipiat.

VNVS QVIS QVE enim propriam cœnam præsumit ad manducandum.] Dominicam hanc cœnam priuatam fecistis. Quandiū enim communis esset, dominica cœna uocabatur: domini enim res omnibus seruis sunt communes. Postquam autem unusquisq; anteuerit propriam cœnam manducare, nec expectat pauperes, sed priuatim apud sese edit, contumelia afficitis cœnam uestram, pro dominica priuatam facientes.

ET alius quidem esurit, alius uerò ebrius est.] Pauper quidē esurit: opulentus uerò ebrius redditur. Duo autē hīc sunt piacula, & quòd prætereūtur pauperes, & quòd uos inebriamini, soli ijs saturati quæ etiam pauperibus oportebat apparata esse. Significatione autem peculiari dixit ebrios eos esse.

NVN QUID enim domos non habetis ad edendum & bibendum? Si enim communiter & publicè non estis esuri, quur non in ædibus uestris editis?

AVT ecclesiam Dei contemnitis? Cum enim dominicam cœnam priuatam feceris, manducans apud te ipsum, in ecclesiam & locum es iniurius.

ET pudefacitis non habentes.] Non tantum curant pauperes, inquit, quòd non alitis eos, quantum quòd pudescunt, redarguti & indicati quòd nihil habeant, uobis splendidè accumulatis, ac uino indulgentibus.

QVID uobis dicā? laudabo uos? in hoc non laudo.] Post lapsus & erroris demonstrationē mitius cū illis loquitur. Cum enim posset dicere, ista innumeris esse mortibus digna, ipse quid ait? Laudabo uos? non laudo. Hoc autē facit, ut eos mansuetiores clementioresq; pauperibus reddat. Si enim eos uehementius percussisset & pertinacius, aduersus inopes exasperati, crudeliores in eos facti essent, quippe quia eorum causa ab apostolo ignominia adfecti essent.

EGO enim accepi à Domino, quòd & tradidi uobis.] Cuius rei gratia mysteriorum illius uesperæ meminit? omnino necessariò, ut persuadeat quòd Dominus tuus omnes eadem mensa excipere dignatus sit, tu uerò fratrem eiusdem tecum generis & nature auerfaris & dedignaris? At qui ait à Domino se accepisse? neq; enim tum aderat Paulus, sed Christi persecutor erat. Vti discas, quòd ipse hodieq; in mystica mensa mysteria illa tradat, æquè atq; tum.

QVO.

A QVONIAM Dñs Iesus, in nocte qua tradebatur, accepit panem, & postquã gratias egisset, fregit, ac dixit, Accipite, mäducate. Hoc est corpus meũ, quod pro uobis frangitur. Recor damini, inquit, quod hanc ultimã uobis dederit, spiritualement adeoq; arcanã sacrosanctam institutionem, quodq; ea etiã nocte qua mactandus erat, Iudam proditorẽ mensẽ suã accumbentẽ habuerit. At tu fratrem tuum reijcis, contemnis, indignũ iudicas? Edoctus es etiã gratias agere, quandoquidem & ille gratias egerit, exemplum nobis relinquens: atqui tu indigna gratiarum actione cõmittis, iniuriam interens ecclesiã. te nanq; epulante ad temulentia usq;, alius esurit. At uerò ille in cõmune & generatim omnibus dixit, Accipite, edite, idq; corpus suum, quod pro omnibus ex æquo fregit in mortẽ tradens: tu uerò anteuertis & occupas edere, neq; cõmunem panẽ in mediũ ponis, neq; frangis ipsum uti detur multis, uerũ tibi ipsi contines.

HOC facite in meam commemorationẽ. Quid ais? si filij uel patris commemorationem faceres, animo & conscientia tua percussus esses, nisi legitima quæq; & celebrandis funeribus consueta perfecisses, ac pauperes inuitasses. Commemorationẽ autem siue memoriam Domini faciens, nec mensam quidem tuam simpliciter illis impertis.

SIMILITER & calicem postquã cõnasset, dicens: Hic calix nouũ Testamentũ est in meo sanguine. Fuerũt & in ueteri Testamento calices siue pocula, quibus sanguinẽ brutorũ post uictimã oblatam libarent, quem phiala & pocula excipiebant. Pro sanguine itaq; brutorũ, qui uetus Testamentũ ueluti sigillo consignabat, meum ego sanguinẽ pono, nouum Testamentũ eo ceu sigillo muniens. Ne turberis igitur sanguinem audiens. Nam si irrationalium pecorum sanguinem accepisti in ueteri Testamento, quanto potius nunc diuinum? *Leuit. 1.*

HOC facite, quoties biberitis, in meam commemorationem. Per poculum isthuc, inquit, memoriam facis Dominicæ mortis. Quĩ igitur tu solus bibis & inebriaris, tremendo isto calice omnibus ex æquo tradito?

QVOTIES enim ederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. Eo, inquit, affectu debetis esse imbuti, perinde quasi in illa ipsa Christi essetis uespera, adeoq; cõena, eidemq; accumberetis thoro, & ab ipso Christo acciperetis sacrum isthuc. Illa ipsa enim cõena est, & illam ipsam mortem annunciamus, hoc est, demonstramus ad secundum usq; eius aduentum.

ITA QVE quicunq; manducauerit panẽ hunc, aut biberit calicẽ Domini indignẽ, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ipsos obliquẽ perstringit indignẽ manducantes, quandoquidem inopes negligant. Qua uerò ratione reus sit indignẽ assumens? perinde nimirum ac ipse qui sanguinẽ Domini effuderit. Ut enim qui tam pupugerunt Christum, nõ ut biberent pupugerunt, uerũ ut effunderent: sic indignẽ bibens, nihilq; inde commodi referẽs, frustra ac temerẽ effudit sanguinẽ. Porro Iudæi dilacerarunt regis chlamydem: at qui indignẽ manducat, in cõenum & lutum, in animam suam uidelicet, hanc chlamydem iniicit. Nõne igitur par & minimẽ dissimilis est ignominia? propterea & ipse huius chlamydis reus est.

PROBET autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. In more est diuo Paulo, ubi per medium cuiuspiam argumenti alia necessaria inciderint, huc etiam digreditur quemadmodum etiamnum alio proposito argumento de mensa, simulatq; in mysteriorũ sermonem incidit, hunc locum ueluti maximẽ necessarium perficit & absoluit, ac summã bonorum monstrat, cum pura conscientia accedere mensam. Vnde inquit: Non alium tibi iudicem attribuo, uerũ te ipsum tibi ipsi cõmendo. Iudica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriã, sed quando purum te ipsum ac dignum inueneris. *Pauli mos in disputando.*

QVI enim manducat & bibit indignẽ, iudicium sibi manducat & bibit. Non propter mysteriorum naturam, hæc enim sunt uiuifica, uerũ propter accedentis iniquitatem, quemadmodum & sol oculis corruptis est noxius.

NON dijudicans corpus Domini. Hoc est, non explorans, non intelligens propositæ rei amplitudinem. Si enim disceremus unquam quis nam esset qui proponitur isthuc nobis, non indigeremus altero, sed illum ipsum nos, ut sobrij essemus, pararet.

IDEO inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Accipite demonstrationẽ ex ijs quæ apud uos contingunt. Hinc enim sunt immaturæ mortes, diuturnæq; ægrotudines & morbi, eo quod multi indignẽ assumant. Quid igitur? qui non ægrotant, & ad extremam usq; senectam seruantur incolumes, nõne peccant? Peccant sane, sed non huius temporis pœnæ solæ indignẽ accedentibus destinatae sunt: sed in futuro quoq; seculo illic difficiliora grauioraq; sunt reposita supplicia: neq; hinc nos puniti essemus, nisi deliquissemus, perinde ac ipse iam infert. *Immaturæ mortes propter indignẽ sumptũ Chrĩsti corpus.*

SI enim nos ipsos iudicaremus, nõ iudicaremur. Non dixit, nos ipsos puniremus, sed tantum iudicaremus & condemnaremus nos ipsos, haud sanẽ ne hic quidem condemnaremur à Deo, uerũ & præsentia & futura supplicia effugeremus.

CVM aut à Domino iudicamur, corripimur, ut ne cum mundo condemnemur. Quando quod ad eodẽ leue & facile est, nõ facimus, hoc est, quod nos ipsos nõ condemnamus: neq; Deus nobiscũ crudeliter ad eodẽ agit, uerũ hinc corripit & castigat, ut illic misereatur. Castigamur aut hinc, inquit, nõ punimur, cæterũ à patre admonemur, ut ne cũ mudo, id est infidelibus, illic condemnemur. Deo enim cum fideles uehemẽter curæ sint, pro delictis suis ita à Deo tractantur.

Theophylact.

O ITA QVE

ITAQUE fratres, cum conuenitis ad manducandum, alter alterum expectate.] Iterum **C** ad propositum de pauperibus sermonem redit, postquam poenae mortisq; meminit ob indignam mysteriorum Dominicae mensae acceptionem inflictae. Nec dixit, Alter alteri impertimini: sed, Expectate: ostendens communia esse quae illuc adferantur, quodq; communis conuentus sit expectandus.

SI autem quis esurit, domi manducet.] Rubore Corinthijs hic sermo suffundit, eosq; pudere facit. Loquitur enim eis tanquam pueris & infantibus, qui familici aegre in ediam patiantur, ipsorumq; gastrimargiam condemnat. Hinc & eos ab ecclesia adeoq; delubro educens, in suam quanq; domum remittit, quae non exigua est ignominia.

VT ne ad iudicium conueniatis.] Id est, ad noxiam detrimentumue uestrum, & ad condemnationem. Eam enim ob causam sunt constituti conuentus, ut alter ab altero iuuetur dum in charitate congregamini. Quod si hoc non fiat, satius est, ut domi uos contineatis. Haec autem non dicit ut domi sint, caeterum ut eos magis attrahat quod sicut oportet conueniant.

CAETERA autem cum uenero dispona.] Vel de alijs nonnullis ipsorum peccatis quae opus habeant emendatione, uel de hoc ipso peccato loquitur. Verisimile est, inquit, aliquot defensionem parare aduersus ea quae dixi, uerum interim quae dixi custodiant. Sin quisquam aliud quicquam habeat quod mihi dicat, in meum id aduentum usq; feruetur. Terret autem eos tanquam affuturus, ut interea temporis demittat cristas, & corrigant si quid non bene habeat.

CAPVT XII.

DE spiritualibus autem nolo uos ignorare fratres.] Hoc est, de donis spiritus. Argumentum autem est huiusmodi. Qui crediderant in principio, & baptizati erant, omnino spiritum accipiebant. Quia uero is inuisibilis erat, sensibile signum dabatur operationis ipsius, atq; aut linguis loquebantur, aut prophetabant, aut miracula edebant. Apud Corinthios itaq; charismatum nomine seditiones erant, adeo ut qui maiora dona acciperent, efferrentur: qui uero minora, illis inuideret. Insuper uates aliquot & pseudoprophetae fuerunt, qui difficulter a diuinis prophetis discernebantur. Cuncta igitur haec in meliorem statum reuocant, ac primum quod ad uates attinet.

NO STIS quod quando gentes eratis, ad idola, quemadmodum ducebamini, abducti sitis.] Signum dat uatis & prophetae: quoniam si, inquit, apud idola aliquis uaticinaretur, a spiritu immundo detentus ceu raptus & abductus, sic rapiebatur a spiritu ligatus, nihil sciens eorum quae diceret, sed plane extra se constitutus & insanus. Cum propheta autem aliter se res habet. Nam is mente sobria cuncta loquitur. Itaq; primum hoc signum & discrimen uatis daemoniaci, & prophetae diuini.

IDEO notum uobis facio, quod nemo in spiritu loquens dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.] Etiam hoc tibi signum sit uaticinij insani, execrari, blasphemare, conuicijq; incessere Iesum: prophetae uero signum est, haud citra praconium nominare Domini nomen. Quid igitur catechumeni faciunt? Quomodo isti nondum habentes Spiritum sanctum, nominant Iesum: uerum de his nunc non est sermo, caeterum de fidelibus & infidelibus. Quid uero daemones? non nominabant nomen Domini? Nominabant quidem, sed flagris caesi & coacti, suapte uero sponte & per sese haudquaquam.

DIVISIONES autem donorum sunt, idem uero spiritus disferit, ut dissidentes in hisce corrigat: primum eum curat ueluti adhibita medicina, qui minus donum accepit, ac propterea moeret. Quis enim doles, inquit, quod non tantum accepisti atq; alius? Non enim debitum est, sed charisma & donum. Itaq; gratias age, quod nihil tibi Deus cum debeat, omnino tamen aliquid dederit. Quin etiam idem est dator, qui tibi & illi largitus est. Non enim tibi angelus dedit, illi uero Deus: uerum idem utriusq; spiritus.

AC diuisiones ministracionum sunt, sed idem Dominus.] Meminit & filij, tanquam datoris bonorum. Dolentem porro maiori consolatione reficiens, ministeriorum dixit. Qui enim charismatis uocabulum audiuerat, & minus donum acceperat, fortasse angere queat animo, ceu circa donum imminutus. Qui uero ministerij uocem audiuerit, non ita dolebit: laboris enim & sudoris hoc est indicium. Quid enim doles, si alium plus quam te laborare iussit, parcens uidelicet tibi?

DIVISIONES etiam operationum sunt, idem uero Deus qui operatur omnia in omnibus.] Patris hic mentionem facit, qui operatur omnia in omnibus fidelibus opera. En hic tibi Trias est perfecta. Donum autem, & operatio, & ministerium, eadem sunt, etsi nominibus differunt. aequalia enim sunt quae a spiritu & filio & patre dantur. Vide autem quomodo spiritus meminit primum, postremo uero patris, eorum causa qui in Triadis huius ordine nimium sunt curiosi.

CUIUS autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem.] Ne quis dicat, Ecquid quod idem sit Dominus, & idem spiritus, & idem Deus, eum ego interim minus acceperim? Hoc tibi, inquit, utile erat & conferebat. Spiritus autem manifestatio, signa sunt, per haec enim demonstratur libenter in baptizatis commorari. Quid igitur tibi dolet? Siue enim maius, siue minus habeas donum, ostendit spiritum in te esse. Ecquid tibi propterea curae?

ALII quidem per spiritum datur sermo sapientiae.] Qualem habebat Iohannes tonitru filius,

Baptismi mira-
ra uis.

Phanatici &
prophetae di-
scrimen.

Catechumeni.
Daemones Chri-
stum confiten-
tes.

Spiritus de-
monstratio.

Alius, qualem & ipse diuus Paulus. Obserua autem præpositionem *ad* spiritu hîc applicari.

ALII autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum.] Qualem habebant pleriq; fidelium, qui ipsi quidem scientiam habentes, alios docere non poterant. Sapientia nanq; docet, *Sapientia.* perspicuitas quædam existens quæ operta recludit, obscuraq; clara reddit. Vbiq; autem eiusdem spiritus meminit, consolans (ut sapius dictum) eum qui minus acceperat.

ALII autem fides, in eodem spiritu.] Non fides dogmatum, sed miraculorum, quæ & *Matth. 17.* montes transfert.

ALII autem dona sanationum, in eodem spiritu.] Ut curet omnē ægritudinem & languorē.

ALII autem operationes uirtutum.] Qui punire etiam queat inobedientes. ut Paulus excæcauit Elymam magum, sic Petrus Ananiam sustulit: id quod dona sanationum accipiens *Act. 13. & 51.* non habebat.

ALII autem prophetiæ, alij uerò discretionones spirituum.] Hoc est, ut sciat quis nam spiritualis, & quis non spiritualis: tum quis propheta, & quis impostor.

ALII autem genera linguarum.] Abundabat apud Corinthios linguarum donum. Hinc magis etiam confidebant, quasi primum id apostolis esset datum, ac propterea alijs donis excellentius sit uisum. Atqui id sic non habet. Siquidem doctrinæ donum maius est, & interpretatio linguarum maior est, quàm simpliciter linguis loqui. Valdè propriè autem de linguis loquens, genera dixit.

OMNIA autem hæc operatur unus & idem spiritus, diuidens seorsim unicuiq; ut uult.] Rursum eandem consolatione ponit, idem spiritus operatur omnia. Magis autem obstruit ora eorum qui talem haud æquo animo dispensatione ferunt. Pro arbitrato, inquit, suo facit. Tu uerò quis es qui isthuc ægrè feras? Obserua autem dictum hoc, propter eos qui cū spiritu pugnant. Non enim quemadmodum iubetur, sed ut uult. itaq; Dominus & Deus est. Nec efficitur, sed efficit æquè ac pater: inquit enim, Qui operatur omnia in omnibus.

SICUT enim corpus unū est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis multa cum sint, unū sunt corpus: sic & Christus.] Exemplo à corpore sumpto, cōsolatur mœrentem ob minus charisma, ostendēs quòd nihil sit imminutus. Ut enim corpus unū est, & multa habet membra: sic & membra & multa sunt, & unū, eo quòd in unum corpus coagmententur.

Vbi igitur differentia? ubi maius? ubi minus? omnia enim unum sunt. Sic igitur & Christus, id est Christi ecclesia. Quandoquidem enim Christus caput est ecclesiæ, sic ecclesiam nominauit à capite. Perinde enim ut corpus & caput unus sunt homo, consimilem ad rationem, ecclesiam & Christum, ueluti corpus & caput unum esse sciens, pro ecclesia Christum posuit. *Christus, Christi ecclesia.* Dicit igitur, quòd in ecclesia unum quoddam omnes sumus, etiamsi ex diuersis ordinibus constet concinnatumq; sit isthuc unum. *Christi ecclesia.*

ET ENIM in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi.] Indicat iam nunc quomodo ecclesia adsimilietur unius corporis exemplo, inquit: Sub eodem & uno spiritu nos omnes, & ego etiam ipse Paulus, inquit, baptizati sumus in unum corpus, hoc est, ut simus unum corpus. Non enim in alio quidem tu, in alio uerò ego, baptizati sumus spiritu, uerum in eodem. Proinde neq; ego quiddam te excellentius habeo. Nam in unum corpus baptizati sumus, pro eo quod est, ut simus unum corpus, & Iudæi & Græci, & serui & liberi. Si ergo adeò disunctos, tantoq; interuallo distantes, spiritus nos coniunxit atq; uniuert: quanto magis postquam unum facti sumus, nō debemus contristari, ceu discrimen quoddam sit inter nos? *Ecclesia corpus per similes.*

ET omnes uno spiritu potati sumus.] Videtur hîc loqui de mensa corporis Domini, panis nempe & uini. Cum enim dicit spiritu potari nos, utraq; indicauit, & sanguinem, & carnem. Veruntamen uerius est quòd hîc loquatur de accessu spiritus, qui nobis post baptismum contingit, & priusquam hæc sacra mysteria adeoq; sacramenta accedamus. Potati autem sumus, dicit per metaphoram eorum qui ex eodem fonte irrigantur. Vnus igitur spiritus potauit nos, & irrigauit, & unum corpus esse fecit. *spiritus post baptismum datur.*

ET ENIM corpus non est unū membrū, sed multa.] Ne mireris, inquit, quòd tot cū simus, unū corpus simus. Etenim & humano corpore à multis membris unum corpus est inuenire.

SI dixerit pes, Quia non sum manus, non sum de corpore: non propterea non est de corpore. Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: non propterea non est de corpore.] Introducit membra loquentia, & murmurantia quòd sint alijs minutiora uel inferiora, ut per demonstrationē inutilis membrorū murmuris præter rationē facti, pudore suffundat murmurantes in ecclesia, propterea quòd nōnulli in ea ipsis sint maiores. Ponit autem duo extrema, pedem & aurem. Nec facit pedem oculo loqui, sed parum sibi superiori manui. Auditum autem introducit cum oculo disputantem. Semper enim nō ualde excellentibus, uerum parū à nobis distantibus, atq; paulo altius progressis inuidere solemus. Ait igitur: Quòd si dixerit pes, Quia nō habeo medium locum, æquè ac manus, sed sum omnium infimus, non sum ergo pars corporis: nunquid propterea, hoc est quia non est manus, non est ideo ex corpore? *Quibus ferè inuideamus.*

Non enim locus est in causa quæ sit pars corporis, uel non sit: uerum quia corpori quicquam unum est, aut non unum. Hunc ad modū si auris dixerit, Quia non sum oculus, eam ob causam orbis omnino eo ut sim pars corporis: num propterea & ipsa non erit ex corpore? Atqui *Pars corporis ut quod dicitur, nō locus factus, sed unio.*

cum locum sibi principio destinatum retineat, propriamq; operationem operetur, ipsa quoq; erit & membrum & pars corporis. Proinde etiam si tu uidearis minus charisma accepisse, ne ea de causa murinura. Membrum enim es ecclesie, quod est corpus Christi, etiam si inferiorem locum nactus es. Tum uero non es membrum, cum te ipsum abscideris, atq; ab initione abruptus auulsusq; fueris. Conserua igitur coadunationem, si uis esse membrum.

[SI totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi olfactus?] Quia oculi meminerat, & pedis, & auditus, & manus, eosq; in cogitationem induxerat excellentiae & imminutionis, ac uerisimile esset rursus ipsos merorem inde potius quam consolatione accipere: nunc ostendit ita commodum esse, ut sint diuersa dona. Nam si totum corpus foret unum membrum, ubi nam reliqua manerent? Non pudet igitur te, qui tot membra ejicis, ac tanta, teq; solum esse dignum iudicas?

NUNC autem posuit Deus membra, unumquodq; eorum in corpore sicut uoluit. Vementer eos compescit, & cum ait quod Deus uoluit ac segregauit unicuius membro proprium locum: id enim significat, posuit: & quod neq; pes, quia infimum locum obtineat, ægreferre debeat. Sic enim Deus uoluit: atq; hoc ipsi confert, in imo loco positum esse. Neq; caput supremum locum habens, propterea debet efferri. Dei enim hoc, non ipsius opus est. Consimilem ad modum in ecclesia Deus constituit hunc esse inferiorem, id quod ipsi comodat, illum uero superiorem. Atq; hunc oportet sua sorte esse contentum, illum uero non attolli uel inflari.

QUOD si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem membra multa, corpus uero unum est. Animaduerte sapientiam. Hoc ipso eos obturat, oraq; illis obstruit, quod uidebatur illis parere pusillanimitatem: nempe quod diuersa sint charismata, quodq; non sit idem omnium honos. Nisi enim essent diuersa membra, neq; corpus unum esset. Quod si corpus non sit unum, neq; par erit honos & existimatio. Iam uero eam ob rem in omnibus est idem precium, ideoq; æque honorantur membra, quod omnia idem corpus perficiant. Itaq; quia diuersa membra sunt, ideo unum corpus perficitur. Quia uero unum corpus, ideo cunctis idem honoris exhibetur, & precij sunt eiusdem, ex hoc ipso quod omnia coeant & compaginentur ad unius corporis completionem. Ait enim, Multa quidem membra, corpus uero unum.

NON potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Opera uestra non indigeo. Submissioribus factis, nec non pacatis iam qui minor charismata acciperant, ad eos nunc qui maioribus præeminentes intumescabant, uerba facit, qui inferiores se asperrant. Vt, inquit, oculus non potest dicere reliquis membris, Non habeo opus uestra opera: uno namq; deficiente, claudicat totum corpus: sic neq; qui maiora charismata acciperunt, attollere sese possunt aduersum eos quibus sunt minora. Eorum enim & ipsi opera indigent: ipsi enim soli non sufficiunt ut ecclesiam Dei ædificent. Pulchre autem dixit, Non potest. Etiam si namq; multa uelit, non sic tamen habet rei natura.

SED multo magis quæ uidentur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ putamus ignobiliora esse corporis, his honorem abundantiorē circudamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorē honestatem habent. Indicat iam quod & comoda & necessaria sint quæ uidentur esse minora, uidentur enim inferiora, sed non sunt. Quæ nam sunt hæc? quæ imbecilliora quidem uidentur, & minus honesta, & interim tamen necessaria sunt. Nonnulli genitalia hic partes accipiunt, quæ uidentur quidem minus honestæ & indecoræ, usque adeo autem necessariae sunt, ut sine his ne uita quidem hominis constare queat. Insuper maiore illis honorem exhibemus, ac circumponimus. Etsi enim quisquam toto corpore nudus sit, hæc tamen

Genitalium necessitas atq; honos.

Oculi. membra nudari non patitur. Nonnulli uero per imbecilliora, sed necessaria tamē, oculos intelligunt: qui quum parui sint, ac reliquis artubus infirmiores, in primis tamen sunt necessarij. Per ignobiliora uero & inhonesta, pedes intelligunt. Oculos itaq; magna cura dignamur, ceu imbecilles. Pedes rursus cōtegimus & obuelamus, ac sollicitē illis prospicimus, quantumuis inferiorem loco positi, ac honoris uacui esse uideantur. Poterit autē quispiam hic tres ordines intelligere ex his quæ dicta sunt, ut alia quidem sint infirma & necessaria, ut oculi: alia uero honoris uacua, ut pedes: alia deformia siue inhonesta, ut mortalium generationi destinata.

Pedes. Membrorum inferiorum ordines tres.

HONESTA autem nostra nullius egent. Ne quis dicat, Ecquænam hæc est ratio, ut prospiciamus inhonestis atq; ignobilibus, honesta uero despiciamus? non despiciamus, inquit, sed illa nulla nostra cura & honore opus habet: à natura enim decus suum & formam nanciscuntur.

SED Deus simul temperauit corpus. Si temperauit siue comiscuit, ergo unum fecit: quod enim miscetur, unum fit. Et ubi iam deinceps in uno maius & minus?

Natura nihil deforme.

ET cui deerat, abundantiorē tribuendo honorem, ut ne schismata sint in corpore. Non dixit, inhonorato aut deformati, sed deficiente uel egenti. nihil enim natura inhonestum aut ignobile. Exuberantiorē, inquit, impertijt honorē ei cui deerat, ne igitur doleas, cum maiori honore adficiaris. Causa est, ne sint schismata in corpore. Si enim alia quidem & à natura & à nostra prouidentia curata essent, alia uero ne nostra quidem sollicitudine dignata essent, discedissent inter se mutuo, inq; se discissa fuissent, non ualentia ferre connexum & compagē. His uero discisis, neq; reliqua permāssissent salua, ceu corpore iam secto ac scisso. Ne igitur uos maioribus charismatib. decorati insurgite in uobis inferiores, ne resectis illis uos detrimentum patiamini.

SED idē pro se mutuo sollicita sint membra. Non solum, inquit, ut non abscindantur membra

bra

Abra ac dissideat, uerum ut dilectio sit multa & concordia. Et qui maior est, minoris curam gerat, cogitetque; anxie non simpliciter, sed idem, hoc est, ut eadem sane qua magnus fruitur, prouidentia fruatur & minor. Sic itaque spina incidente, calcaneoque; infixi, totum corpus sentit & sollicitum est: caput se inclinat, deorsum inflectitur, uenter & femora contrahuntur, oculi multa sollicitudine intuentur, manus quod infixum erat eximunt, atque in ceteris membris par cura adhibebitur.

ET siue patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: siue glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.] Exacta enim unitio & coniunctio, communes facit glorias & calamitates. Proinde, ut iam diximus, calcaneo uulnerato, totum corpus condolet. Rursum si caput coronetur, reliquis inde membris & gloria & gaudium emergit, oculi sunt pulchri, ac totum corpus formosum apparet.

Membrorum bonorum & malorum communicabilia.

VOS estis corpus Christi, & membra ex parte.] Ne dicat, Ecquid ad nos corporis & membrorum similitudo & exemplum? Quia, inquit, & uos estis corpus Christi & membra. Quare si humanum corpus non oporteat a se dissentire, quanto minus corpus Christi? Quia uero non ipsi soli constituebant corpus Christi, sed omnes in uniuerso terrarum orbe fideles, apposuit, & membra. Etiam si nanque non totum corpus essent, membra certe erant: idque ex parte, hoc est, non omnia membra, sed ex parte.

ET alios quidem posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas.] Si Deus posuit, quare te ipse Deo opponis? Principe autem loco apostolos collocat, ceu omnium bonorum duces: secundum prophetas, non ueteris quidem Testamenti (illi enim ad Ioannem usque de Christi aduentu uaticinati sunt) sed eos qui in nouo Testamento post Christi aduentum & natiuitatem prophetabant, quales fuerunt Philippi filia, qualis Agabus, quales alij innumeri. Larga enim & abundans erat gratia spiritus in quauis ecclesia. Primum autem & secundum posuit, ut linguarum dono relinquatur postremus locus: ut ea ratione hoc dono tumidos demittat.

Matth. II. Prophetae post Christi aduentum. Act. 21. & II.

TERTIO doctores.] Propheta quidem omnia ex spiritu loquitur, doctor autem etiam per sese: propterea tertium locum obtinet.

DEINDE uirtutes, post gratias curationum.] Virtutes & sanabant aegrotos, & puniebant aduersarios: dona autem curationum sanabant tantum. Hinc illud huic praefert & anteponit. Vtrique tamen horum, qui uere doctor est, antelatus est, qui nimirum uita & uerbo docet.

OPITVLATIONES, gubernationes.] Hoc est, amplecti siue fouere infirmos, & gubernare, adeoque dispensare ea quae fratrum sunt. Haec enim etiam si nostrae quoque diligentiae sint, Dei tamen iuxta dona esse adfirmat: persuadens nobis ut grati simus, ac ut in illum defigamus oculos, nec simus superbi.

GENERA linguarum.] Postremo loco posuit, ut adimat cristas illis qui hoc dono arrogantes erant.

NUNQUID omnes apostoli: num omnes prophetae: nunquid omnes doctores: nunquid omnes uirtutes: nunquid omnes dona habent curationum: nunquid omnes linguis loquuntur: nunquid omnes interpretantur?] Quia uerisimile erat eos potius dolere, ceu manifestatis maioribus & minoribus donis per enumerationem, rursus consolatur inferiores. Quid doles, inquit, quod forsitan non habeas prophetiam? Cogita rursum prophetam deesse quod tibi adest: & quod alij est, alij non est. Itaque hoc commodius est uobis & utilius, sic habere sese res ecclesiae, ut quilibet proximi opera indigeat.

AEMVLAMINI autem dona meliora.] Tacite innuit quod sibi sint ipsi in causa quare minor dona accipiant. Cum enim dicit, aemulamini, diligentiam & conatum ipsorum postulat, & maiorem ad spiritualia cupiditatem. Nec dixit, maiora, sed meliora, hoc est commodiora siue utiliora.

ET adhuc excellentiorem uiam uobis demonstro.] Si omnino aemulatores sitis charismatum, monstrabo uobis uiam quampiam per hyperbolen, hoc est eximiam, quae uos ad omnia charismata perducatur. Charitatem autem intelligit.

CAPVT XIII.

SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum aes sonans, uel cymbalum tinniens.] Haud actutum submonstrauit eis uiam, sed comparat eam prius cum dono quod ipsis uidebatur esse potius, linguarum uidelicet: ostendens incomparabiliter charitatem linguarum donum antecellere, imò ceteris cunctis charismatibus esse hanc praestantior, dignamque; quae a cunctis expetatur. Linguas autem hominum cunctorum ubique terrarum commorantium intelligit. Nec hoc contentus, aliam ponit excellentiam, angelorum etiam linguis, inquit: non quod angeli linguas habeant, sed ut quiddam quod humanis linguis excellentius esset, indicaret, sic dixit. Angelis porro lingua est intellectualis, uis nimirum illa qua sibi mutuo diuinarum rerum intellectum ac diuinas cogitationes impertiunt.

Charitatis commendatio.

Angelorum lingua.

A nostro autem organo eam nominauit, quemadmodum & illud, Flectetur omne genu caelestium, &c. Non enim ossa & neruos habent angeli, sed summam subiectionem indicauit. Factus sum, inquit, aes sonans, hoc est, uocem quidem edens, temere autem loquens, ac turbulenta profertens, quibus nemini prosum, quando quidem charitate sim destitutus.

Esaiæ 45. Philip. 2.

ET si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam.] Non simpliciter qualemcumque; hic prophetiam dicit, sed maxime sublimem, & quae mysteria omnia nouerit. Attende autem quomodo in linguis quidem non dixerit ullam inesse utilitatem, sed in prophetia, mysteriorum omnium addiderit cognitionem haberi.

Theophylact.

O 3 ET

ET si habuero omnem fidem.] Ne sigillatim dicens, molestus uideatur, ad matrem & fontem omnium fidem peruenit, eamq; omnem.

VT montes transferam, charitatem aut non habeam, nihil sum.] Quia uidebatur magnum esse rudioribus, montes transferre, huius gratia eius rei meminit, non quod hoc solum possit esse ruderibus. Nam montes transferre, non magnificat Christus, & modicæ fidei parti adscribit: Si habeatis, inquit, fidem ut granum sinapis. Obserua autem hinc quomodo per prophetiam & *Matth. 17.* *Miracula aut in uerbis aut in rebus sunt.* fidem omnia charismata comprehendit. aut enim in uerbis uel operibus sunt miracula. Non dixit autem, charitatem non habens, modicus sum & uilis, uerum nihil sum.

ET si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.] Non dixit, si partem aliquam facultatum mearum dederam, sed omnia: nec dixit, dederam, sed *quomodo*, in cibos distribuero, ut sumptui ministerium cum omni diligentia necnon cura adijciatur.

ET si dederam corpus meum ut ardeam, charitatem aut non habeam, nihil mihi prodest.] Non dixit, ut moriar, sed quod omnium difficillimum uidebatur, uium quempia comburi, neq; hoc citra charitatem prodesse dicit. At dixerit quispiam, Quomodo fieri potest ut quispiam res suas & facultates in pauperes distribuatur citra charitatem? Hic responderi potest, quod id quod non est, tanquam sit, posuerit: perinde ac cum ait: Si uel angelus uel nos predicemus uobis euangelium præterquam quod accepistis. Atqui neq; ipse, neq; angeli aliud Euangelium annunciaturi erant. Quin alijs plerisque locis quædam dicit huiusmodi. Vel quod quispiam sine charitate possit etiam in opibus largiri, non ex miserante adfectu quem in pauperes gerit, uerum ut hominibus placeat. Cum dilectione autem sit, quando ueluti compatiens & inflammatus charitate hoc faciat.

CHARITAS patiens est, benigna est.] Deinceps charitatis indicia explicat, ac primo loco patientiam, siue longanimitatem ponit, radicem omnis philosophiæ. Longanimis enim est, qui longo & magno est animo. Quia uero nonnulli non ad philosophiam longanimitate usi sunt, sed sæpenumero sibi indignantes, iraque aduersum ipsos percitos riderent & subsannarent ceu iam longanimes, ac interim efficiebant ut maiori isti iracundia concitarentur: propterea, benigna est, inquit, charitas, hoc est, mansueta est, candidos & innocentes mores indicat. nam illi prædicti subdoli sunt & morosi. Hoc autem dixit, morosos & contentiosos apud Corinthios carpens.

NON æmulatur.] Hoc est, non inuidet. Potest aliquis & longanimis esse, & interim inuidiam affectu laborare. Verum charitas ipsa etiam hoc effugit. Hoc autem dixit propter inuidios quosdam apud Corinthios.

NON agit perperam.] Id est, non precipitanter agit, sed prudentem efficit & firmum enim cui inest, *ἡσυχία* enim est, qui in sublime tollitur, leuis, stolidus. Hoc autem ad eos pertinet, qui leues erant apud eos, nouorumque studiosi.

NON inflatur.] Fieri enim potest ut quispiam omnia iam commemorata bona habeat, ac propterea inflatur: uerum charitas isthuc non agit: cæterum cum iam commemoratis bonis humill est mente spirituque prædita. Hoc uero ad arrogantes & ostentatores pertinet.

NON pudefit.] Hoc est, non solum non inflatur, sed etiam si turpissima patiatur propter admatum, non arbitratur rem istam esse turpitudinem ac ignominiam, adeoque incelebritatem: quemadmodum & Christus ob dilectionem quam erga nos habet, ignominiosam crucem non solum recepit, uerum etiam gloriam esse propriam & peculiarem putauit. Poteris autem & *ἐν ἀρχαῖς*, non pudefit, siue non turpiter agit, intelligere pro non iniuria adficit. nihil enim turpius est iniurio, & uim inferente. Hoc autem ad fastuosos pertinet.

NON querit quæ sua sunt, non irritatur.] Modum explicat quomodo non pudefiat charitas. Proprium, inquit, commodum charitas non querit, sed proximi. Deformitatem autem tum maxime putat esse, cum a turpitudine proximum non aruerit. Hoc uero concernit eos qui reliquos contemnebant. At neq; irritatur, postquam non pudefit. Vir enim iracundus non est boni habitus, non est uenustus, non decorus. Proinde non pudefit, aut turpiter agit charitas: quandoquidem non exacerbetur, hoc est, non profiliat in iram. Hoc iniuriam perpeffos concernit.

NON cogitat malum.] Omnia, inquit, mala patiens non exacerbat ad iracundiam, & non solum non contra mali quippiam molitur, ut sese ulciscatur, sed ne cogitat quidem. Obserua autem undique quomodo non dicat quod charitas æmuletur quidem, sed superior euadit: aut irritatur quidem, sed obtinet uictoriam: imò neq; ab initio, inquit, profusus nasci finit aliquam malitiam: quemadmodum & hic, Non cogitat, inquit, malum. Hoc ipsis Corinthijs dictum est, ne iniurijs iniuriam retalient.

NON gaudet super iniquitate.] Hoc est, non exhilaratur si quisquam iniuria adficatur, lædatur, patiaturque malè.

CONGAUDET autem ueritati.] At quod multo maius, inquit, congaudet probatis: & si quando ueritas prosperum, cursum nanciscatur, hoc quoque gloriam suam arbitratur. Ad inuidios hoc dirigitur.

OMNIA suffert.] Et iniurias, & plagas, & mortem. Isthuc enim ei longanimitas donat, quæ adesse ei dixit. Ad insidias tendentes hoc dicit.

OMNIA credit.] Quæcunq; dixerit dilectus: nihilque maleficum aut subdolum neq; ipse loquitur, neq; alium loqui arbitratur.

OMNIA sperat, omnia sustinet.] Non desperat de dilecto, sed sperat eum semper ad melius promo-

A promouere. Hoc uerò ad desperates dixit. Quod si uerò à sua spe exciderit illo in malitia perseverate, strenuè fert illius deliquia. oia enim, inq̄, sustinet. Ad facile disidentes hæc loquitur.

CHARITAS nunquam excidit. Id est, nunquam aberrat, sed omnia perficit, & ad intentionem finè perducit. Vel, quod est melius, significat non dissoluitur, non discinditur, neq; unquã deflitt, sed in futuro quoq; seculo perdurat alijs omnib. abolitis, perinde ac deinceps liquet.

*Charitas per
petuo durat.*

SIVE uerò prophetiæ, abolebuntur: siue linguæ, cessabunt. Commemoratis dilectionis germinibus, rursus alia quadam ratione eam exaltat, cum ait prophetiam & linguas finem habituras, charitatem uerò permâsuram stabilem, sineq; carituram. Si enim prophetiæ & linguæ in eum sunt finem datæ, ut fidei inseruiât, eaq; recipiatur: fide undiq; expansa & explicata, merito ceu superuacaneæ cessabunt etiam nunc: quanto magis in futuro?

SIVE scientia, destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Si scientia abolenda est, nunquid igitur in ignorantia uiuemus? Minimè: uerum de scientia ex parte, seu imperfecta loquitur, perinde ac ipse interpretatur hoc, Scientia ex parte abolebitur, adueniente cognitione perfecta. Non enim adhuc tantundem sciemus, sed longè plura & maiora: quemadmodum quod ubiq; sit Deus, nouimus quidè nunc: sed quo modo, planè ignoramus. Et quod uirgo peperit, scimus: qua uerò ratione, nò tenemus. Tum excellētius quicquã & cōmodius de illis sciemus.

CVM essem paruulus. Cum dixisset, ueniente eo quod perfectum est, destruetur quod est partis: nunc etiam exemplum profert quo indicat quantum sit discriminis inter cognitionem temporis huius, & futurâ. Hic enim infantibus & paruulis adsimilamur, tum uerò uiri erimus.

LOQUEBAR ut paruulus. Tanquam ad linguas referat, dicit Loquebar.

SAPIEBAM ut paruulus. Hoc ad prophetias referre uidetur.

COGITABAM ut paruulus. Ad scientiam isthuc pertinet.

QVANDO factus sum uir, euacuauit quæ erant paruuli. Hoc est, quando in futuro seculo uiriliorē adeoq; perfectiorē cognitionem nactus fuero, tum destruetur exigua, infantibusq; adæquata scientia, quam hic habemus. Infert igitur:

VIDEMVS enim nunc per speculum in ænigmate. Declarat quod de paruulo siue infante dixit, ac demonstrat quod obscura quæpiã nobis sit hic cognitio, tum uerò apertior erit. Videmus enim, inquit, nunc per speculum. Deinde quia speculum expressius demonstrat rei representatæ inuentionem, adiecit, In ænigmate: ostendens hac ratione cognitionem quæ hic nobis obuenit, profus exiguam esse.

TUNC autem facie ad faciem. Non quod Deus faciem habeat, ceterum ut per hoc ostendat apertiorē & planiorē cognitionem, & omnino reuelatam.

*Facie ad faciem
cognoscere.*

IAM cognosco ex parte, tunc uerò agnoscam quemadmodum & agnitus sum. Duplici ratione tollit inflationem ipsorum, ostendens particularem siue imperfectam esse cognitionem præsentem, quodq; illam à nobis ipsis non habeamus. Nò enim ego, inquit, noui ipsum, sed ipse me agnouit. Perinde igitur ut nunc ipse me nouit, & ipse mihi accurrit, hunc ad modum ipsi tunc accurrat maiore cognitione quàm nunc: quemadmodum qui in tenebris sedet, tantisper dum non intuetur solem, ipse non accurrit neq; accedit ad pulchritudinem radij solaris, sed luce emissa seipsum radius demonstrat: quando uerò ipse radij fulgorem acceperit, tum & ipse persequitur lumen. Hoc igitur est quod ait, Quemadmodum cognitus sum: nò quod eodem profus modo ipsum agnosceremus, uerum quod sicut ipse ad nos nunc accesserit, sic & nos tunc adiungemur ipsi: ueluti si quis inueniens ingenuum infantem expositum, forma blandum & conspicuum, ipse quidem infantem agnosceat tollat, educationeq; dignetur, ingenuum istum alat, ac tandem opibus splendidum reddat, & ad regiam introducat: ac puer quamdiu infans manserit, nihil horum sentiat, neq; tollentis agnoscat humanitatem: simulac uerò adoleuerit, benefactorē agnoscat, dignis eum beneficijs prosequatur. En hoc iam exemplo illustratum est quod adumbratum fuit, & nonnihil obscure dictum.

NUNC autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas. Sunt quidem etiamnum linguæ & prophetiæ & scientiæ, uerum obscuræ. Atqui fide in omnes diffusa, ut supra dictum, omnino cessabunt: ipsa tamen fides, spes, & charitas, istis diuturniores sunt. Id enim significat per hoc quod ait, Nunc autem manet, trium istorum durationem ac stabilitatem denunciâns. Atque inter hæc tria charitas maxima est, quandoquidem & in futurum seculum extendatur.

*Fide promulgata,
prophetiæ
euacuantur.*

CAPVT XIII.

SECTAMINI charitatem. Quia rem esse arduam charitatem demonstrat, adhortatur deinceps ad eam. Nec dixit, Sequimini eam, sed *deueneri*, id est, sectamini siue persequimini, uehementem conatum atque diligentiam expetens. effugit enim à nobis, quare multo cursu opus est, ut eam assequamur.

AEMVLAMINI spiritualia, magis autem ut prophetetis. Ut ne arbitrentur quod propterea tot tantisq; præconijs euexerit charitatem, ut extinguat charismata: infert, Aemulamini spiritualia, hoc est charismata, præ cæteris autem prophetiam. Hoc autem dixit linguarum causa, quarum nomine arrogantes erant.

QVI enim lingua loquitur, hominibus non loquitur, sed Deo: nemo enim audit: spiritu

Linguarum
prophetiae dis-
crimen.

autem loquitur mysteria. Qui uerò prophetat, hominibus loquitur edificationem & adhortationem & consolationem.] Linguas cum prophetia confert, neq; omnino eas inutiles ostendit, neq; omnino commodas, per seipsas uidelicet. Non enim hominibus loquuntur, sed Deo: hoc est, non intellectu facilia & aperta hominibus dicunt, cæterum in spiritu sancto loquuntur mysteria. Quatenus itaq; ex spiritu loquuntur, res profectò est ardua: quatenus autem non commodat mortalibus, inferior est prophetia. Nam illa & ex spiritu est, & comodior, eos qui non sunt stabiliti ædificans, segniores adhortans & excitans, pusillanimes animans & consolans. Vbiq; ergo Paulus illud ponit maius, quod est utilius.

QVI loquitur lingua, seipsum ædificat: qui autem prophetat, ecclesiam ædificat.] Multi linguis loquentes, non poterant alijs interpretari quæ dicerent. Isti igitur sibijpsis solis utiles erant. Qui autem prophetat, omnes audientes iuuat. Quanto igitur præstantius est ecclesiam iuuare potius quàm unum, tanto etiam linguis excellentior est prophetia.

VOLO autem uos omnes linguis loqui, magis autem ut prophetetis.] Quia non pauci apud eos loquebantur linguis, ne uideatur ex inuidia linguas eleuare & imminuere, Volo, inquit, omnes linguis loqui; non unum aut duos, potius tamen uolo ut prophetetis, quandoquidem isthuc sit longè commodius.

MAIOR enim est qui prophetat, quàm qui linguis loquitur, nisi etiam interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat.] Maior, inquit, est propheta, uerùm eo qui tantum linguis loquitur, nec interpretatur etiam. Nam si nouit interpretari, æqualis est prophetae is qui linguis loquitur. Aedificat enim ecclesiam, dum interpretatur quæ obscurè in lingua dicuntur. Donum enim erat etiam interpretatio, & alijs quidem dabatur, qui simul linguis loquebantur, alijs uerò non dabatur.

Reuelatio, pro-
phetiae species.

† καθολικῶ-
πρόν γὰρ ἡ
προφητεία καὶ
ἡ ἀποκάλυψις.

Porfenna pro-
phetia legisse ui-
detur, id est,
Larius patet
quàm reuelatio.

NONC autem fratres, si uenero ad uos linguis loquens, quid uobis prodero, nisi uobis loquar in reuelatione, aut scientia, aut prophetia, aut doctrina? Vultis scire incommodum linguarum quæ non exponuntur? Esto quòd ego Paulus doctor uester loquor linguis, sed inde ad auditores nihil emolumenti proueniet, nisi quid dixerò in reuelatione, hoc est, quemadmodum consueuerunt dicere, reuelationem ex Deo nacti, quæ & ipsa est species prophetiæ, quando multis astantibus uel collectis, cuiusq; sensa patefunt. Vel in scientia, hoc est, quemadmodum possunt dicere scientiam habentes, adeoq; mysteria dissoluentes auditoribus. Vel in prophetia, quando quispiam de præteritis, præsentibus, & futuris loquitur. † Larius enim patent prophetia & reuelatio. Vel in doctrina, hoc est, in sermonis forma qui instituit, cum de ueritate uel dogmatibus disseritur. Doctrina enim & institutio ad auditorum fit commodum. D Nonnulli uerò quod ait in reuelatione, sic intellexerunt, quòd dicant quæ facillè intelligantur, manifesta q; & perspicua sint. Quòd uerò ait, in cognitione uel scientia, intelligendum putant quòd dicant quæ sciri cognosciq; possunt.

TAMEN inanimata uocem dantia, siue tibia, siue cithara, si distinctionem non dederint sono, quomodo cognoscetur quòd uel tibia uel cithara canitur? Ecquid dicam, inquit, quòd in nobis inutile est quòd obscurum est, perspicuum uerò, est utile? Nam & in inanimatis instrumentis musicis si distinctionem, hoc est discretionem & perspicuitatem soni non habuerint, sed omnia fuerint confusa, non agnoscetur quòd tibia concinitur, neq; animus recreabitur, neq; lætitia hinc consequetur.

Tuba in bellis
usus.

ETENIM si tuba uocem incertam dederit, quis apparabitur ad bellum? A^s superuacaneis ad magis necessaria uenit, tuba q; meminit, inquit: Sunt in ea quidam moduli siue numeri ad bellum concitantes, nonnulli à bello reuocantes. Quòd si obscuram & incertam uocem dederit, imparati erunt milites. Ecquæ est incerti obscuriq; soni commoditas?

ITA & uos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo sciatur id quòd dicitur? Eritis enim in aera loquentes.] Ne dicant, quid ad nos tibiq; tuba q; exemplum? Quia uos, inquit, nisi per donum ipsum atq; linguam perspicua uerba feceritis, temerè ac frustra loquimini, nemine audiente. Summa enim Dei in hoc uersatur, ut sit utile charisma. Porro si inutile fuit linguarum donum, cur dabatur? Ut ille solus iuuaretur qui accepisset. Sin alijs quoque profuturus erat, debuit uel rogare Deum, quòd siue interpretationem per uitam purgatam à uitijs daret: uel alium quempiam orare, qui interpretationis dono fulgeret, par erat. Diuus enim Paulus ideo hæc dicit, ut eos conuocet & coagmentet inter se mutuò ne existiment ipsi sibijpsis sufficere, sed adsumant eos qui interpretari possint: illorum enim donum tunc plus commodi habebit.

Linguarum multa
aplicitas.

TAM multa, si res ferat, genera uocum sunt in mundo, & nihil ipsorum sine uoce est.] Hoc est, tot esse uoces in mundo contingit, nimirum Scytharum, Indorù, Thracum, aliarumq; gentium, omnesq; uoces dicunt & significant quicquã, neq; enim sunt mutæ, uel sine uoce gentes.

SI ergo nesciero uirtutem uocis, ero loquenti barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.] Si ignorem, inquit, uim uocis, barbarus mihi uidebitur qui loquitur, hoc est, stulta & non intelligibilia sonans: & ego illi rursus barbarus censebor: non uocum sermonis ue uitio, sed nostræ ignorantiae causa.

SIC & uos, quia æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ querite ut exuberetis.] Nonnulli hæc uerba, Sic & uos, punctulo, ne sequentibus cohæreant, interstinguunt, inq; hunc

A hunc modum interpretantur: Sic & uos linguis loquentes incertè & obscurè, barbari uide-
mini auditoribus. deinde ab alio principio legunt, Quia æmulatores estis. Diuus uerò Ioan-
nes coniunctim legit. Et uos igitur, inquit, quandoquidem æmulamini spiritualia charismata
uolo & ego, adeoq; recipio hoc, perinde ac prius dixi. Veruntamen quærite ut exuberetis ad
ædificationem siue commoditatem ecclesiæ. Tantum enim abest ut uos prohibeam linguis
loqui, ut & abundare uos uelim, modò ad publicam eas utilitatem transferatis.

PROPTEREA qui lingua loquitur, oret ut interpretetur.] Modum explicat quo futu-
rum est ut charisma isthuc in publicam utilitatem cedat. Oret, inquit, qui lingua loquitur, ut &
interpretationem accipiat. Proinde ipsi sibi in causa sunt cur non recipiant interpretationem,
ut qui hoc à Deo non postulent.

NAM si orem lingua, spiritus meus orat, mens uerò mea sine fructu est.] Nonnulli apud
ueteres, donum orationis in lingua accipiètes, sonabant quidem Persarum aut Romanorum
uoce, mens uerò eorum ignorabat quid diceretur. Ait itaque Paulus: Spiritus meus orat, hoc
est, donum quod mouet linguam: mens autem mea sine fructu est, nihil intelligès eorum quæ
dicuntur. Animaduerte hinc quomodo orationis procurfu demonstrauerit, sola lingua loquen-
tem, sibi etiam inutilem esse. Hac ratione sanè diuus Ioannes Chryostomus interpretatur.
Quidam uerò sic intelligunt: Si loquar lingua, non autem interpreter, spiritus meus, siue ani-
ma mea ipsa per seipsam iuuatur: mens autem mea citra fructum est, cum & alijs non commo-
det. Qui uerò sic accipiunt quod dictum est, metuerunt, mea quidem sententia, Montani deli-
ramentum. Huiusmodi nanq; is hæresim introduxit, quòd prophetiæ non intelligerent quæ
dicerent, uerùm spiritu detenti dicerent quædã, nec intelligerent tamen quæ dicerent. At hoc
non habet hic locum. Non enim de prophetis dixit Apostolus quòd non intelligerent quæ à
se dicerentur, cæterùm de ijs qui linguis loquuntur: neq; de ijs omnibus, sed de quibusdam.

Montani hæresis.

QVID igitur est? orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.] Quid
igitur, inquit, est commodius? quid necessum est à Deo petere? ut oremus spiritu, id est, do-
no: ueruntamen etiam mente, hoc est, ut mente intelligamus quæ oramus. Idem & de psal-
mis intelligendum.

QUONIAM si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ad
tuam gratiarum actionem, quandoquidem quid dicas nescit? Quando psallis, inquit, si bene-
dixeris spiritu, hoc est spirituali dono linguæ: replens idiotæ locum, id est indoctus & laicus,
quomodo dicet Amen ad tuam orationem? Te enim dicente, in secula seculorum, obscurè &
per linguam, non audiuit. Itaq; non iuuatur, eiq; non commodat.

Intelligibiliter
sacerdos Deo
sacra canat.

NAM tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.] Ut ne uideatur omnino do-
num illud uilipendere, Tu quidem, inquit, bellè gratias agis, sed proximi tui commodo non
accedente, inutilis est gratiarum actio.

GRATIAS ago Deo meo, quòd plus uobis omnibus linguis loquar.] Ne suspicentur
quòd ceu carens eo charismate, illud ipsum eleuet ac uilipendat, eam ob rem, plus quàm om-
nes uos, inquit, linguis loquor.

SED in ecclesia uolo quinq; uerba mente mea loqui, ut & alios instruam, quàm decem mi-
lia uerborum in lingua.] Mente mea, hoc est, intelligens & sciens quæ dico, ut qui possim in-
terpretari hæc, ut & alios adiuuem. Quàm decem milia in lingua uerba, quando nimirum non
possim ea interpretari: tum enim ad me solum commoditas redit. Quinq; autem uerba dicit
quisquis alios instituit, medicinam conuenientem cuius quinq; sensuum nostrorū adhibens.

FRACTRES, ne sitis pueri sensibus, sed malitia infantes estote, sensibus uerò perfecti esto-
te.] Postquam monstrauit quale sit linguarum donū, deinceps asperiore sermone utitur,
obijciens eis quòd puerilia spirent & affectent. Infantium enim reuera est atq; puerorum res
exiguas admirari, propterea quòd forsan admirationem & stuporem excitent, quales sunt lin-
guæ: magna uerò contemnere & aspernari, ut quæ nihil noui ac decori cõtineant indicent ue,
quales sunt prophetiæ. Adhortatur hic itaq; eos, ut erga malitiam sic sint adfecti, ut pueri, hoc
est, ut non efferantur, nò inflentur, neq; simpliciter sciant quid sit malitia, infantiū instar: mēte
autē siue sensibus perfecti sint, hoc est, ut dijudicēt quæ sint maiora & cōmodiora charismatū.
Aliàs etiā infans est malitia, nemini inferens, uerùm infantis in morē innocēs. Mente uerò siue
sensibus perfectus est, qui præterquam quòd nemini damnū det, iuuet etiā alios, nedum uitii
fugiens, uerùm uirtutum etiam insequens, sibiq; cauens ne à rebus temporalibus & lætalibus
lædatur. Haud est dissimile istud illi: Estote prudētes sicut serpētes, & simplices sicut colūbæ.

Malitia anti.
Mente perfe-
ctus.
Matth. 10.

IN lege enim scriptum est: Quoniam alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic, & nec
sic exaudient me, dicit Dominus.] Rursus prophetiam cū linguis comparat, monstrans ipsam
esse excellentiorem: & quomodo hoc fiat, per sequentia planum fiet. Legem autem, uniuersum
uetus Testamentum appellare consueuit. Propterea & nunc quæ in Esaiã leguntur, in le-
ge dicit esse scripta. Cum uerò ait, Neq; sic exaudient me, indicat quòd attonitos reddere atq;
externare potuit miraculum: at quòd non persuasi sint, neq; crediderint, eorum esse culpam.
Deus enim quæ sua sunt, semper facit. Prouidentiam porro suam ostendit, etiam si sciat eos
non obtemperaturos, ut iam inexcusabiles sint.

Esaiã 28.
Lex.

ITAQVE linguæ in signum sunt, nò fidelibus, sed infidelibus.] Signum autē terret quidē,
non do-

non docet uerò prorsus, neq; iuuat, quandoquidem & sæpe noceat, quemadmodum & citra C interpretationem lingua, perinde ac posthac ait: Dicent quia insanitis. Sed infidelibus data sunt signa: fideles enim non habent opus huius, ut qui iam fideles sunt.

Signis fideles
opus non habent.

PROPHETIA autem non infidelibus, sed credentibus.] Prophetia, inquit, prodest fidelibus, eos instituens: infidelibus igitur an non est signum prophetia, neq; eis commodat? Ecce qui deinceps dicit, Si omnes prophetauerint, ingrediatur autem quispiam infidelis? En isthic infidelibus prophetia inferuit. Poteris igitur dicere, non dixisse Apostolum inutilem esse infidelibus prophetiam, sed non esse in signum illis inutile, ut linguas. Quocirca ut summatim dicam, lingua est in signum infidelibus, hoc est, ut terreat solum, & admirari faciat. Prophetia uerò & fidelibus est utilis & infidelibus, ipsos arguens, etiam si non dicatur in signum eis esse.

SI igitur cõuenerit ecclesia uniuersa in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ & infideles, nõne dicet quòd insanitis? Tacite indicat quòd occasio sit noxæ etiam lingua, ni interpretatio accesserit. Hoc autem dicit, factum eorum tollens. Cum enim arbitrentur se linguarum nomine esse admirationi, contrarium potius diuus Paulus ostendit. Nam ad ignominiam potius ipsis sunt, dum sint in causa cur insanire uideantur. Ne existimes porrò quòd charismatis hoc opus sit, nempe quòd ignominia afficiat habentem, ait, insipientes dicent, Nonne insanitis? Idiotæ enim dicit, aut infideles, quales erant qui Apostolorum temporibus dicebant multo eos esse plenos. Nam & sapientiores à linguis etiam non nihil ædificationis recipiunt, ut qui Apostolorum temporibus eos demirabantur, ceu magnificentiam & maiestatem Dei enarrantes.

Aët. 2.

SI autem omnes prophetent, intret autem aliquis infidelis uel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, sicq; occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd Deus uerè sit in uobis.] Viden' prophetiam, quomodo fit commodior, quomodo cordis abdita reuelans, faciat infidelem agnoscere Deum, ut in faciem procumbat, adoretq; & confiteatur quòd Deus uerè sit in nobis. Quod in Nabuchodonosor etiam contigit. Per Daniele enim somnio illi patefacto, Reuera, inquit, Deus uester ipse est qui reuelat mysteria. Hinc igitur cognosce quid sit quod supra dictum est, in reuelatione. Ecce enim reuelatio est quædam prophetiæ species. Obserua autè quòd spiritus sit Deus: dicit enim, Deus uerè in uobis est. In prophetantibus autem omnino est spiritus. Sic enim & supra dixit, Quoniam prophetiæ in spiritu dantur.

Dan. 2.
Nabuchodonosor.

QVID ergo est fratres? Cum conuenitis, unusquisq; uestrum psalmum habet, doctrinam habet, reuelationem habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem D fiant.] Psalmos etiam olim faciebant ex dono, doctrinæ pariter donum dabatur. Reuelationem autem ipsam prophetiam nominat, à specie genus uocans. Meminit autem linguæ, ne omnino res esse contemptibilis uideatur, neque charismatis loco digna. Cuncta, inquit, hæc ad ædificationem fiant. Christiani nanque hoc est officium, ut ædificet, ut proficit. Quomodo autem qui linguam tantum habet, ædificare potest? Si coeant cum interpretationem habente, & coniuncta dona esse indicentur.

Christiani officium.

SI UE lingua quis loquitur, per duos id fiat, aut ad plurimum treis, & per partem, & unus interpretetur.] Non prohibeo lingua loqui, sed citra interpretem prohibeo. Ne igitur multi linguis loquantur, ne confusio & inordinatio quædam fiat. Et per partem, inquit, id est per successiõnem. Omnino uerò interpretem adesse necessum fuerit.

SI autem non fuerit interpretes, taceat in ecclesia, sibi ipsi autem loquatur & Deo.] Si non habuerit interpretem, in ecclesia non loquatur, ut ne uideatur barbarus, haud intelligibilia & stulta plerisque sonans. Si autem adeò fuerit ambitiosus, ut non possit silere, sibi loquatur, & Deo, hoc est, citra strepitum, ac tacite apud sese, ut soli Deo audiantur quæ dicuntur, & non hominibus. Animaduerte autem, quomodo uisus adhortari, dehortetur.

Dijudicationis donum.

PROPHETAE autem duo aut tres dicat, & cæteri dijudicent.] Latitabant inter prophetas, uani etiã uates, siue harioli: eam ob rem dicit, ut eos dijudicent alij, ne aliquis uates uanus occultetur. Vt enim in superioribus commemoratum fuit etiam donum dijudicationis, ut dignoscerent, qui adulterini, qui ue uani prophetæ essent. Idcirco duos aut tres prophetare habet, ut eo melior ordo consistat, neq; in multitudine falsi uates clanculum delitescant.

QVO D si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat, potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem recipiant.] Bonum hic ordinem & mentis humilitatem docet. Cum enim alij inspirarit spiritus, tu qui prior es, tace. Si enim spiritus te uoluisset loqui, non illum excitasset. Deinde consolationem eis præbens, Potestis, inquit, singulatim omnes prophetare. hoc est, ne mœreas, potes enim & tu & alius & omnes per partem, hoc est per successiõnem prophetare. non enim uno solo concluditur donum, sed omnibus datur: ut uniuersa ecclesia discat, & consolationem ad uirtutem recipiat.

ET spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.] Hoc ad consolationem quoque eius qui conticescere iussus est, pertinet. Quod uerò dicit, est huiusmodi: Ne contendas, neq; seditionem cieas. Ipse nanq; spiritus, hoc est, donum quod in te est, & operatio spiritus qui in te est, subijcitur dono alterius, qui ad prophetandum concitatus est. Quòd si spiritus subijcitur, quanto potius tu debes, qui spiritum possides, non esse contentiosus? Nonnulli hunc locum hanc ad ratio-

Ad rationem intellexerunt: Vates sanè apud Græcos omnes, quando semel arrepti essent à dæmone, etiamsi uoluissent, non potuerunt tamè reticere. Apud nos uerò sancti prophetæ haud sic agebant, uerùm in ipsorum est arbitratu uel loqui, uel tacere. Atq; hoc est quod ait, Spiritus prophetarum, id est, dona, subduntur ipsis: atq; in manu prophetarum est silere, uel non silere. Ne enim dicat qui donum habet, Qui tacere possum, perinde ac tu mandas, cum à spiritu agitatatus loquar? Atqui spiritus, inquit, qui te agitat, tibi subditur, inq; tua deinceps potestate sitū est tacere. Ne igitur nequicquam prætere spiritum.

*Prophetæ si ues
lunt, tacent: non
item uates phas
natici.*

NON enim est dissensionis Deus, sed pacis: quemadmodum in omnibus ecclesijs sanctorum. Indicat quòd Deo etiam placeat priorem tacere. Non enim est Deus seditionis & confusionis, quæ ex eo quòd non sileant, sed omnes prophetare uelint, nascitur: uerùm pacis est Deus. Ipsa uerò pax in omnibus ecclesijs sanctorum, hoc est fidelium, uersatur. Sunt enim & Græcorum & Iudæorum ecclesiæ. Pudeat igitur uos præter & contra omnes ecclesias uiuere.

MULIERES uestræ in ecclesijs taceant, non enim permissum est eis loqui: sed subditas esse, sicut & lex dicit. Cum omnia pulchrè ordinasset, & quæ de linguis, & quæ prophetis in quæstionem ueniebant, ut ne multi prophetent, & ita cōfusio & seditio ex eo subnascatur: absurdam nunc & indecoram mulierum in ecclesia turbationem tollit, ut in ecclesia taceant præcipiens. Deinde quòd maius est, conuenientius ait esse ut subijciantur. Subiectio enim cum timore silentium indicat, perinde ac in famulabus fit. Legem autem Genesis librum appellat, in quo scriptum est: Ad uirum tuum cōuersio tua, & ipse tui dominabitur. Si igitur decretum est ut uiro subdatur, quanto magis spiritualibus in ecclesia doctoribus?

*Lex, Genesis
liber.
Gen. 3.*

SI quid autè discere uolunt, domi uiros suos interrogent. Perinde ac si quis dicat, Nisi loquantur, quomodo discant quæ ignorant? Domi, inquit, à suis maritis discant. Hoc autem & illas ornatas reddit, & uiros attentiores facit, ut qui debeant, quæ in ecclesia audiuerunt, uxoribus eos interrogantibus recitare, ac ueluti apud eas deponere. Obserua autem quòd ne de necessarijs quidem rebus & animæ commodis, mulieribus loqui permissum est in ecclesia.

TVRPE est enim mulieribus in ecclesia loqui. Quandoquidem illæ forsitan putabant sibi decori esse in ecclesia colloquia spiritualia miscere, ipse diuersum ait, id esse dedecori atq; pudori illis adseuerans.

AN à uobis uerbum Dei processit? aut ad uos solos peruenit? Veluti aduersus quosdam sibi contradicentes hic sermo formatus est. Quid enim, inquit, mihi aduersamini: nec putatis esse pulchrum, tacere in ecclesia fœminas? Nunquid uos estis doctores? aut à uobis exijt prædicatio uerbi ad reliquos? uel apud uos solos stabilita est fides, nec oportet uos ab alijs recepta recipere? Neque igitur uos primi estis fideles, neque soli. Est igitur operæ precium quæ uniuerso placent orbi, uos etiam amare.

SI quis uidetur propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quòd Domini sunt mandata. Quòd omnium est fortissimum, postremo loco posuit. Deus, inquit, hæc imperat per me. Atque hoc omnino cognoscat, qui uisus fuerit apud uos esse propheta, uel aliud quoddam spirituale donum habeat, hoc est, scientiæ.

SI autem quis ignorat, ignoret. Hoc est, ego dixi, qui uult obtemperet. Sic uerò loqui, hominis est sua non commendantis, cæterum rem tantummodo publicam spectantis. Consuevit autem Paulus hoc facere, ubi nō admodum necessarium est opponere se cuiquam. Quid enim Paulo necessarium reniti alijs, atq; persuadere uelle, quòd Dei sint madata quæ dicat, idq; quū ad discipulos loquatur & dicat spiritualem hominem agniturum quòd hæc diuina sint? perspicuum enim est omnes assensuros eum diuina ac cœlestia loqui, ut spirituales esse uideatur.

ITA QVE fratres mei, æmulamini prophetare, & linguis loqui ne prohibeatis. Vbi de charismatibus disputasset, in medium simul de mulieribus sermonem intulit ac inseruit. Nunc rursus de charismatibus differit, primas prophetiæ tribuens, æmulamini inquit: secundas uerò linguis. Atqui non dixit, permittite loqui, sed ne prohibete: quòd dicere solemus in rebus non necessarijs, neq; adhortantes, neq; dehortantes.

OMNIA decorè ac secūdum ordinem fiant. Veluti in summa hic omnia corrigit, & quæ linguis loquentes respiciunt, & quæ mulieres in ecclesijs loquentes contingunt, ac simpliciter omnia quæ apud illos haud iusto ordine fiunt. Decorè autem & ordine fieri queant, si linguis loquentes eum interpretatione loquantur, nō ueluti insanientes: si prophetæ sibi mutuo cedant, si fœminæ conticescant.

CAPVT XV.

NOTVM autem facio uobis fratres Euangelium, quòd prædicaui uobis. Sermonem de resurrectione aggreditur, quæ caput est nostræ fidei. Si enim non est resurrectio, neque Christus excitatus est. Quòd si nō est excitatus, neq; incarnatus est: efficiturq; hac ratione, ut uniuersa fides nostra labefactata euanescat. Quoniam igitur resurrectionis sermo apud Corinthios languebat & claudicabat (sapientes namq; Græci externa sapiētia clari, omnia suscepissēt potius quàm resurrectionē) de hoc cōtendit Paulus. Sapiētissimè uerò ipsis in memoriā reuocat ea quæ iā antea crediderāt, & in quibus persuasi erant. Nihil nouū aut peregrinum dico, sed quòd iam antea uobis cognitū, obliuioni uerò propemodum traditū, notum facio, hoc est, ad memoriā uobis reuoco. Fratres porrò eos nominans, partim placauit, partim memoriæ

*Resurrectio,
caput nostræ
fidei.*

Rom. 6. memorię suggessit unde fratres facti sumus, nimirum ab incarnati Christi aduentu, cuius fides C in periculum adducebatur: tum à baptisate, quod sepulture & resurrectionis Domini typus est. Euangelium autem dicens, innumerorum bonorum meminit, quibus per incarnati Christi aduentum & resurrectionem potiti sumus.

QVOD & accepistis.] Non dixit, quod audiistis, sed quod accepistis: non enim sermone tantum, sed per opera & miracula Euangelium acceperant. Et simul ut eis persuadeat ut hoc ceu depositum asseruent & retineant.

IN quo & statis, per quod & saluamini.] Etiam si concussi non nihil essent, stare tamen eos adserit in hoc, libenter simulans se ignorare, atque antevertens eos, ut etiam si maximè uelint, negare tamen haud possint. Ecquæ commoditas est, in Euangelio stare? Saluum fieri.

QVA ratione prædicauerim uobis.] Quod ait, huiusmodi quiddam est. De hoc quod resurrectione sit, nihil uobis indico: quandoquidem hac in re non sitis concussi nec labefactati. Huius autè fortasse rei cognitione opus habetis, quānam ratione futuram resurrectionem uobis prædicauerim, hoc uobis sanè etiā notum facio, quomodo uidelicet futura sit resurrectio.

SI tenetis, nisi frustra credidistis.] Quia dixerat, statis, ne segniores eos faciat, adjicit, si tenetis. Tenetis autè & nouistis omnino, nisi temerè credidistis, pro eo quod est, nisi frustra nominamini Christiani. Christianismi nāq; uniuersum negociū in resurrectionis dogmate sitū est.

Christianismi
negocium totum
in resurrectione
consistit.

TRADIDI enim uobis in primis, quod & accepi.] Tanquam ingens sit de resurrectione dogma, Tradidi, inquit, uobis in primis. uelut enim fundamentum est uniuersæ fidei. Accepi autem & ego ipsum, à Christo nimirum. Quemadmodum igitur ego retineo, debetis & uos illud ipsum retinere. Et quia in primis accepistis, non est æquum iam de resurrectione ambigere, quam tanto tempore credidistis.

Esaiæ 53.

QVOD Christus mortuus sit pro peccatis nostris, secundum scripturas.] Christi perspicuè in Paulo loquentis hæc uerba sunt. Quia enim Manichæi dicturi erant quod Paulus mortem peccata uocet, & ab his liberationem, resurrectionem, per hæc uerba eos redarguere placuit. Mortuus est enim Christus, qua morte? omnino corporea, haudquaquam peccati: peccatum enim non fecit. At uerò si adeò impudentes sint, ut audeant affirmare Christum etiam morte quæ in peccatis est, obiisse: quomodo, inquit, pro peccatis nostris mortuus est? Si enim & ipse peccator est, quomodo pro peccatis nostris mortuus est? Præterea cum ait, Secundum scripturas, apertè palàm eos pudefacit. Vniuersæ namque scripturæ de corporeâ hac Christi morte testimonium dicunt, ut: Foderunt enim, inquit, manus meas, & pedes meos. &: Vide-

Psal. 21.

Zach. 12.

Ioan. 19.

Esaiæ 53.

Ose. 6.

Ion. 2.

Gen. 22.

Esai. 55.

Psal. 15.

bunt in quem pupugerunt. &: Vulneratus est propter iniquitates nostras. &: Pro peccatis populi mei uenit in mortem.

ET quod sepultus sit.] Igitur corpus etiam habuit, quod enim sepelitur, corpus est. Non appositum autem secundum scripturas, uel quia omnibus sepultura Christi constaret, uel quod secundum scripturas, ex alijs supplendum sit.

ET quod resurrexerit tertio die, secundum scripturas.] At ubi scripturæ loquuntur quod tertia die resurgat? Per Ionæ prophetæ figuram: & ante hunc, ex eo quod Isaac tertio die magis triuius sit conseruatus, & non mactatus: & alijs innumeris in locis. Tum à uerbis Esaiæ uatis: Dominus uult purgare eum à plaga, ut monstret ei lumen. Postea Dauidis: Non derelinques animam meam in inferno.

Luc. 24.

Marc. 16.

Matth. 16.

26.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

ET quod uisus sit Cephæ.] In primis, qui cæteris omnibus autoritate præeminebat, ponit. Atqui Euangelica historia testatur ipsum primum Mariæ Magdalenæ apparuisse. Rectè quidem: cæterum quod ad uiros attinet, primum à resurrectione exhibuit se conspicendum Petro, ceu inter discipulos primum obtinenti locum. Par enim erat, ut qui primum confessus esset Christum, resurrectionem etiam primum uideret. Et quia eum abnegauerat, apparet ei primum, ut ostenderet ei eum propterea non esse reiectum.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

Matth. 16.

26.

DEINDE duodecim.] Atqui Matthias primum post assumptionem Domini in cælos, in Iudæa locum subrogatus est: quomodo igitur duodecim apparuit? Dicimus igitur uerisimile esse, quod Matthiæ quoq; post ascensionem uisus fuerit, quandoquidem & Paulo post assumptionem uocato uisus est. Eam ob causam neque tempus dixit, sed indefinite posuit. Quidam hic dicunt, lapsum aut errorem esse in scribendo, uel quia Dominus præscienti oculo sciens & uidens illum esse undecim istis connumerandum, uisus est ei, ne hac in re cæteris apostolis inferior uideretur. Tale quiddam & diuus Ioannes tradit, dicens: Thomas autem unus ex duodecim. Potius autem dixerit aliquis quod secundum præscientiam Matthiam reliquis apostolis adnumerarit, quàm ipsum etiam Iudam post prodicionem & strangulationem.

Ioan. 20.

DEINDE uisus est plus quàm quingentis fratribus simul.] Post demonstrationem ex scripturis testes producit apostolos, & reliquos fideles homines. Nonnulli aduerbium *ἑκατόν* (quod hic per, plus quàm, reddidimus) pro eo quod est supernè, & ex cælis, accipiunt. Surfum enim & supra caput eis uisus est, ut & assumptionem suam firmaret. Quidam uerò *ἑκατόν πεντακοσίους*, supra, siue plus quingentis, pro pluribus quàm quingentis intellexerunt.

EX quibus plures manent ad hunc usq; diem, quidam autem & obdormierunt.] Habeo, inquit, testimonia uiua. Per dictionem autem Dormierunt, resurrectionis principium præstruxit. Qui enim dormit, resurgit etiam.

DEINDE

A DEINDE uisus est Iacobo.] Fratri Domini, qui ab ipso primus Hierosolymorum episcopus constitutus erat.

DEINDE Apostolis omnibus.] Fuerunt enim & alij Apostoli, ut septuaginta.

NOVISSIME autem omnium tanquam abortiuo uisus est & mihi.] Mentis non arrogāter de se sentientis uerba sunt. Sapienter autem usus est deiectione hac, ut quando magnum illud proferret, Abundantius omnibus alijs laborauit, non adhibeatur ei fides ceu arrogāti. *ἐκτρομα*, id est abortiuum, propriè dicitur fœtus in utero qui iustum incrementi sui & maturitatis tempus non expleuit, quem eijcit mulier. Quia igitur ipse se indignū apostolici muneris functione dicit, ac reiectitium, sic seipsum nominauit, ceu imperfectum & immaturum, quantum ad Apostoli dignitatem & auctoritatem attinet. Nonnulli per abortiuum, postremum fœtum intellexerunt, quando quidem & ipse postremus Apostolorū fuerit. Atenim eam ob rem nihil Pauli auctoritati decedit, quòd postremus Dominum conspexerit.

EGO enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus uocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.] De seipso sententiam fert: nec dixit duodecim tantum, uerum & aliorum omnium. Considera autem quomodo eorum peccatorum meminere, à quibus liberatus sit per baptisma, ut ostendat quid donauerit & quantum sibi Deus. Quam ob causam uerò seipsum testem resurrectionis Christi, quòd sibi quoque uisus sit, producens proprios defectus recenset: ut maiore uerbis suis fidem conciliet. Qui enim reuera suas contumelias profert, alij haud incassum blandietur gratificabitur ue.

GRATIA autem Dei sum id quod sum.] Defectus suos sibi ipse imputat, uirtutes autem gratiæ Dei refert acceptas.

ET gratia ipsius in me non fuit inanis, sed abundantius omnibus ipsis laborauit.] Hæc quoque cum demissione sui dixit. Nec enim dixit, Quæ digna sunt gratia, transegi: uerum, non uana, inquit, gratia Dei in me inuenta est. Quomodo? nam plus quàm omnes Apostoli laborauit. Nec dixit, Periculis obnoxius fui: sed remissè & humiliter loquens, laboris uocabulo & defatigationis usus est, ut laudem suam succideret. Cæterum ut fide dignus iudicaretur, hæc de seipso commemorat. Oportet enim doctorem fide dignum esse.

NON ego autem, sed gratia Dei mecum.] Quin & laborare ipsum, gratiæ Dei: non meum opus, neque mea uirtus est.

SIVE igitur ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.] Siue igitur ego laborauit, siue illi, circa prædicationem tamen omnes, inquit, sumus concordēs. Nec dixit, Si mihi non adhibetis fidem, illis obtemperate: seipsum enim uilipendisset. nec testem hic quempiam auctoritate conspicuum producit, sed ipse sese existimat sufficere, & illos per se sufficere esse autumat. Cum ait, Prædicamus, ueritatem concionum suarum denunciat. Non enim in abscondito loquimur, sed palàm: & non aliquando, sed & nunc. Et sic credidistis. Nec dixit, Nunc creditis, quoniam fide iam uacillabant concutiebanturque. Cum alijs autem, & ipsorum fidem, ueritatis testem uocat. Non enim simpliciter credidissetis sermonibus falsis ac deceptorij, nisi persuasi essetis uera esse quæ publicè uobis anunciabantur.

SI autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam inter uos quòd resurrectio non est?] Optimè ratiocinatur. Demonstratio enim primùm quòd Christus resurrexit, & quòd sic prædicatur à se & Apostolis: ex illius excitatione communem omnium resurrectionem confirmat, ceu reliquo corpore caput sequente. Non autem contra omnes intendit accusationem, ne impudentiores faciat: sed quidam, inquit, dicunt.

SI autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.] Ut ne dicant, Christus excitatus est, sed non ideo uniuersalis erit resurrectio: confirmat hoc inquiring: Neque Christus excitatus est, si mortuorum resurrectio non est. Vtrumque enim utriusque est confirmatio. Cuius enim gratia resurrexisset, nisi futurum erat, ut esset primitiæ nostri?

SI autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est etiam fides uestra.] Si enim mortuus non potuit resurgere: neque peccatum sublatum est, neque mors sublata est: ac deinceps uana prædicauimus nos, uosque uana credidistis.

INVENIMUR autem & falsi testes Dei, quoniam frustra de eo testificati sumus, quòd excitarit Christum, quem non excitauit, siquidem mortui non resurgunt.] Impij, inquit, inuenimur, quoniam calumniati sumus Deum, quòd excitauerit, què non excitarit tamen. Hoc autem contingit, si mortui non resurgunt. Quocirca cum absurdum inde colligatur, neque illud est credendum, mortuos nempe non resurgere.

NAM si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, uana est fides uestra.] Rursus eodem certat argumèto. Eam enim ob causam resurrexit Christus, ut uniuersalem resurrectionem faceret. Sin resurrectio non est, igitur ne ipse quidem resurrexit. Hoc dato, uana est fides uestra: quod absurdum est.

QUONIAM estis in peccatis uestris.] Si enim non resurrexit, neque mortuus est: si uerò mortuus non est, neque peccatum soluit. Mors enim ipsius, peccati est dilutio. Ecce enim, inquit, agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Agnum autem omnino propter mactationem appellauit. Quòd si peccatum non sublatum est, in eo estis prorsus. Ecquid credidistis quòd ab eo liberati sitis?

ERGO & qui dormierunt in Christo, perierunt.] Id est, qui propter Christum mortui sunt,

Theophylast.

P

ac te

Luce 10.

Act. 9. 22. &

26.

ἐκτρομα.

† ὁ δὲ ἐμὲ,

id est, quæ in me peruenit, uel, quam mihi præstitit.

Doctor fide dignus esto.

Resurrectio nostra ex Christi resurrectione asseritur.

Ioann. 1.

ac testimoniū perhibuerunt, perierunt, si non est resurrectio. Cuncti præterea simpliciter Christi-
 tiani, qui in fide erga Christum, & uita angusta & afflictā dormierunt, interierunt, delectabili-
 bus mundi orbat: neq; posthac aliquo bono fruituri, si resurrectio non erit.

SI in hac uita in Christo tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus homini-
 bus.] Si ad hanc usque uitam nostra sese tantum extendunt, atque in hanc solum uitā incum-
 bimus nos qui in Christum speramus, hoc est qui spem in Christum habemus, nec est illic alia
 uita, miseriores sumus cunctis mortalibus: quippe qui neque præsentibus fruimur, ut supra
 i. Cor. 4. commemoratum: nec futura bona sumus consecuturi, propterea quod neque resurgemus, ut
 quidam dicunt. Sed fortasse dixerit quispiam, quod anima sola fruatur bonis. At qui hoc fiat,
 cum ipsa non sola laborauerit, sed corpus etiam eam adiuuerit: Vbinam igitur iustum manet,
 si quod plurimum laboris sustinuit corpus, in nihilum redigatur, ac nullo bono perfruatur,
 sola anima coronam recipiente?

NUNC autem Christus à mortuis resurrexit, primitiæ dormientium factus est.] Postquā
 demonstrauit quot absurda nascantur ex eo quod quis nō credat resurrectionem, repetit eun-
 dem sermonem, huiusmodi quiddam dicens: Hæc sequuntur & emergunt, si non est cōmunis
 resurrectio, nepe quod Christus nō sit excitatus. Atqui Christus excitatus est. Resurrectio igitur
 communis erit, atq; hæc absurda non euenient. Continuo autem ex mortuis apponit, Ma-
 nichæorum ora obstruens. Quod si eorum qui dormierunt, primitiæ est, & ipsos omnino resur-
 gere oportet. Primitiæ nanq; ad sequentes respectum habent, ueluti si quando unus ex multis
 fecerit primus incipiens, quod alij deinceps sint facturi.

Manichæorum
 error.

Quare in Chris-
 to omnes resur-
 gent.

QUONIAM quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quē
 admodum enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur.] Causam
 reddit per quam probantur ac firmantur quæ commemorata sunt. Oportuit enim ipsam uictā
 naturam uincere, & eum qui deiectus erat, euincere. Nam in Adam, hoc est, per lapsum Adami,
 omnes morti facti sunt obnoxij. Sic igitur in Christo omnes resurgent, hoc est, quia Christus
 inuentus est sine peccato, nec mortis reus, & propterea quod uoluntarius quidem mortē sub-
 ierit, resurrexit autem, quatenus impossibile erat ipsum teneri à corruptione, principem ni-
 mirum uitæ. Hæc autem omnia aduersus Manichæos.

VNVSQVISQUE autē in proprio ordine.] Ne audiens cunctos uiuificandos, arbitreris
 & peccatores saluos futuros, subintulit, quantum ad resurrectionem attinet, quod omnes uiuifi-
 cabuntur: ueruntamen unusquisque resurget in suo ordine, & inter quos esse merebitur.

PRIMITIÆ Christus, deinde ij qui Christi sunt, in aduētū eius: postea finis.] Primitiæ, **D**
 adeoq; uia resurrectionis, Christus est: post ipsum igitur qui ad eum pertinet, hoc est fideles, &
 probari in ipso, primi resurgēt, illo ex cœlis ueniente. hoc enim est quod ait, In aduentu ipsius.
 i. Theff. 4. Est enim par, ut iusti priuilegio quo piā gaudeant, in resurgendo. Cum enim rapiendi sint in æ-
 ra in occursum Dñi, præ alijs excitantur. Nam peccatores infra expectant iudicē, ceu condem-
 nati. Deinde omnium rerū consummatio erit, ipsiusq; adeo resurrectionis, ceu omnibus in cō-
 mune uniuersim excitatis. Nec enim, ut nunc sit, Christo solo resurgente, res humanæ suum
 priorem statum locumq; obtinent, sic tum erit: uerum omnia finem accipient.

Regna duo. CUM tradiderit regnum Deo & patri.] Duo regna scriptura nouit, alterū quidem uendi-
 cationis & cōciliationis, alterū uerò creationis. Creationis igitur nomine, in omnes Græcos,
 Iudæos, ipsos dæmones, ac nolentes imperium exercet. Omnium uerò fidelium ac sanctorum
 dominatur, quia suapte sponte subiiciuntur Christo conciliationis & singularis amicitiae siue
 familiaritatis nomine. De hoc itaque regno dicit scriptura: Postula à me, & dabo tibi gentes:
 Psal. 2. & Data est mihi omnis potestas. Hanc tradit patri, hoc est, transigit strenuē & perficit. Exem-
 Matib. 28. pli gratia: Rex quispiam bellum filio suo cōmiserit aduersum gentes quæ defectionē sint moli-
 tæ, ut illud administret. Confecto itaq; bello, domitis & subactis rursus gentibus, tūc dicitur
 bellum tradere patri, hoc est, sub monstrare quod delegatum sibi opus perfecit. Ait itaq; Pau-
 lus, quod simulatq; omnia subiecerit filius, tū finis sit. Tum enim perfectē Christus super nos
 regnat, non amplius diuisos partim Deo, partim mundi principi. Tanquam enim direptū à ty-
 ranno regnum ipse accipiens, & eripiens, liberum tradit patri.

QUANDO aboleuerit omnem principatum, & omnem potestatem & uirtutem.] Hoc est,
 quando uicerit & compescuerit prauas potentias. Hodie nanque operantur, & uim suam exe-
 runt plerunque, tum uerò quiescent.

OPORTET enim ipsum regnare donec posuerit omnes inimicos sub pedibus suis. postre-
 mus hostis destruitur mors.] Quia dixerat Christū destructurū defectrices potētias, ac tro-
 phæa erecturū, uerisimile erat quempiā dubitare, ac dicere: Fortasse debilitabitur seu deficiet
 usq; dum omnia hæc perfecit, neq; poterit ea cōplere: ad hoc, Haudquaquam, inquit, destituetur
 uiribus, sed oportet ipsum regnare, hoc est, tanquā regē uersari: & eum qui possit habenas im-
 perij moderari, donec subiecerit hostes, ac ipsam ad ultimū mortē. Qui enim diabolium sub-
 egit, perspicuū est quod & opus ipsius mortem subiiciet. Quomodo autē apparere queat mor-
 tem esse deuictā & subactam, nisi corpora quæ cōtinebat, euouerit: Tum enim propriē uictō-
 ria obtinetur, cum & spolia direpta fuerint. Ne igitur cū audias quod destruet omnē principa-
 tū & potestatem, metuas quod uiribus destituatur, nec facturus sit ista: facit enim omnia regnās
 & gubers.

A & gubernás bellū, tantisper dum omnes subegerit. Viden' quòd dictio *ἀχρει*, id est, donec, non polita sit ut tollat imperiū eius posthac: At qua de causa dictū est: Durat enim eius imperiū, & præpotens est: nec labefactabitur, donec omnia confecerit. Posthac uerò multo magis imperio florebit. regni enim eius nō erit finis. Gregorius aut̄ theologus adseuerat, quòd regnare hic dicitur, hoc est, facere operariue subiectionē, nosq; suo imperio subdere. Vnde postq̄ subiecti fuerimus ipsi, cessat huiusmodi regnū, hoc est, conatus & efficacia, qua in gubernatione & subiectione nostri utitur. Perinde nāq; ac architecton ædificat usq; dum apposuerit fastigiū tecti, postea uerò ab opere hoc & à structura desistit: hanc ad rationē & filius regnat, hoc est, operatur & exercet imperium suum in nos, tantisper dum regno eius planē subiugati fuerimus.

*Donec, particula
la uis.*

*Regnare Chris
ti.*

OMNIA nanq; subiecit pedibus eius. Quādo aut̄ dicat quòd omnia subiecta sunt ei, uide licet præter eum qui ei subiecit omnia. Quia dixerat de filio quòd aboliturus sit hostes, trophæaq; erecturus; metuit ne aliud quoddam principiū ingenitū existimetur filius. Ad patrem igitur omnia refert, inquit, quòd ipse filio subiecit hostes. Quia uerò ad Græcos scribebat, quorū opinio erat quòd Iupiter infurrexisset aduersus patrē suum Saturnum, eumq; è regno deieciisset: metuit ne tale quiddam de filio suspicarentur, ceu insurgente aduersus patrem. Et ait: Omnia filio sunt subiecta, dempto patre. is nanq; subiecit potius cuncta alia filio.

Psal. 8.

CVM autem subiecta fuerint ipsi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui illi subiecit omnia. Ne quis dicat, Et si patri nō est subiectus filius, nihil prohibet patre filium fortiozem esse: hanc suspensionem ex abundantia diluit, inquit, inquit, quòd & filius subijcietur patri, filij erga patrem multam concordiam & unanimitatem ostendens. Noueris itaque patrem esse causam & fontem potentiaē huius filio, neque filium aliam quampiam uim patri contrapositam putes. Quòd si plus quam par est humili dictione usus est Apostolus, ne mireris. Est enim in more diuo Paulo, ut si quando funditus quicquam tollere uelit, multa utatur redundantia: quemadmodum demonstraturus fidelem mulierem nō coinquinari neq; lædi si cohabitaret marito infideli: Sanctificatus est, inquit, maritus infidelis per mulierem: non hoc dicens, quòd infidelis cum sit uir, sanctus reddatur: uerū dictionis istius excellentia ostendens quòd nihil lædatur fidelis ipsa coniunx: sic hoc in loco subiectionis uocabulo funditus tollit prauam istam suspicionem, qua suspicari quisquam poterat filium fortasse patre esse fortiozem, ut qui tanta transigere possit. Atqui theologus Gregorius adserit quòd filius omnia nostra sibi propria faciens, nostram etiam subiectionem propriam reputet. Nunc uerò seditionem quandam ciemus aduersus Deum, infideles quidem, cum eum abnegāt: fideles uerò, dum affectibus suis inseruiūt multi, & secundum hoc rebelles sumus. Cum uerò alij quidem agnouerint quem nunc negāt, alij uerò tranſmutati fuerimus, & prorsus ab huius uitæ affectibus liberati, tunc dicetur filius esse subiectus. Humanitatis enim personam subiens, sua facit quæ nostra sunt.

1. Corint. 7.

B UT sit Deus omnia in omnibus. Hoc est, ut omnia à patre dependeant, ne quis duo principia sine principio suspicetur, eaq; inter sese diuisa, quando quidem hostes sunt sub pedibus filij: filius porro non est seditiosus, non disidet à patre, uerū quemadmodum decet Deum filium patri subditur, omnino Deus & pater erit omnia in omnibus. Nonnulli autē malitiæ sublationem denunciari aiunt per hoc quòd omnia sint subiecta. Cum enim peccatum porro nō fuerit, planum est quòd Deus omnia in omnibus erit, quando non amplius motibus & affectibus succubuerimus, ita ut nihil omnino Dei, uel parum in nobis feramus: sed toti Dei similes, totius & solius Dei capaces erimus. Omnia sanē tum nobis Deus erit, & cibus, & potus, & cogitatio, & indumentum, & motus.

ALIOQVI, quid facient qui pro mortuis baptizantur? si omnino mortui non resurgunt: quid & baptizantur pro mortuis? Marcionistæ hæretici, si quis nō baptizatus apud eos mortuaretur, sub mortui læcto uiuentē quempiam occultantes accedunt læctum, interrogātes mortuum, num uelit baptismate tingi. Atq; eo respondente qui latitabat, quòd uelit, sic loco mortui eum baptizant. Deinde ob id accusati, defendunt sese hoc apostoli loco, affirmātes apostolum hoc dixisse, hæc apostoli uerba producentes stolidi homines. Id uerò sic non habet. at quo modo? Baptizandi symbolum religionis seu fidei Christianæ enunciant omnino. In eo enim symbolo, cum alijs & hoc adiectum est, Credo resurrectionem mortuorum. Dicit igitur, quòd qui crediderunt futuram esse resurrectionem mortuorum corporum, & qui baptizati sunt in talem spem, quid facient decepti? Quid autem omnino & baptizantur homines super resurrectione, hoc est, in expectatione resurrectionis, si mortui non excitantur?

*Marcionista
rum error.*

*Baptizari pro
mortuis.*

QVID & nos periclitamur omni hora? Si nō recipitis ad demonstrationē resurrectionis, confessionē uerborum quam faciunt qui baptizantur, accipite & uocem quæ per res ipsas loquitur. Nos enim apostoli omnes nunquā nō periculis sumus obnoxij: & nisi esset resurrectio, cuius rei gratiā pericula subiremus? cuius commodi consequendi gratiā? At enim si quis ambitione ductus pericula subeat, semel forsan atq; iterum periculum elegerit, uerū singulis horis: quemadmodum nos periclitari, demonstratio est euidentis, se de resurrectione certos esse.

QUOTIDIE morior per uestram gloriationē, quā habeo in Christo Iesu Domino nostro. Cum dixisset, in periculis uersamur, pericula hic expressit: imò potius maius quiddam, quotidianas uidelicet mortes. Quomodo autem in singulos dies moriebatur? Animi promptitudi-

*Paulus semper
mori paratus.*

ne: & quia ad hoc instructus & paratus fuerit, & quia talia pertulerit quæ mortem adferebant.

Theophylact.

P 2

Per

Per uestram gloriationem, id est, per uestram promotionem & profectū, cuius gratia glorior. **Q**
Gloriatio autem præceptorum, discipulorum est progressus. Deinde Christo istud adscribens,
Quam habeo, inquit, in Christo Iesu. illius enim opus est, non meū. Sapientissimè autē eos cō-
monefacit. Vt, inquit, de uestro in fide progressu glorior, sic tristabor, inquit, si perpetuò deinceps
adeo miserè uos geratis, ut resurrectioni fidem non adhibeatis.

SI secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quæ mihi utilitas? Quatenus, inquit,
ad homines pertinet, cum feris dimicauit. Quid enim si Deus è periculis me eripuit? Quid igitur
mihi prodest, si resurrectio non sit? Pugnam autem cum bestijs appellat contentionem ad-
Act. 19. uersus Iudæos & Demetrium argentarium. Quid enim isti à belluis distabant?

SI mortui non resurgunt, edamus & bibamus, cras morimur. Si mortui non excitantur,
neque erit in futuro quædam commoditas, fruamur deinceps bonis nobis in hac uita obtingen-
Esaiæ 22. tibus, edendo nimirum & bibendo: hæc enim tantum lucratur. Hoc autē uerbi ex Esaiâ pro-
tulit, dementiam taxans eorum qui negant resurrectionem.

NOLITE seduci: corrumpunt bonos mores colloquia praua. Ad adhortationem sermo
nem uertit. Tacitè autem eos ueluti insipientes & leues accusat. Hoc autē indicat per hoc quod
ait, nolite seduci. Bonos autem mores siue placidos uocat, quibus faciliè imponi potest. Indi-
cat porrò quod & alios ad ista subtrahant.

SOBRII estote iustè, & ne peccetis. ignorantiam enim Dei quidam habent. Tanquã tem-
ulentia studeant, sobrij, inquit, estote. iustè uerò, ueluti utiliter. Potest enim quispiam iniu-
stè etiam sobrius esse, siue uigilare & attentus esse, ueluti ad malum. Et ne peccetis: hinc enim
est quod resurrectioni non credatis. Qui enim sibi sunt conscij malorū, non persuadentur, nec
credunt esse resurrectionem, metu pœnarum. Ignorantiam autē Dei habent, qui resurrectioni
non adhibent fidem. Non enim nouerunt Dei potentiam. Nec dixit, habetis, sed, habent, faci-
liorem & tolerabiliorem ita accusationem faciens.

AD pudorem uobis hæc dico. Postquam satis eos carpsit, consolatur eos, dicens: Hæc di-
xi, non ut hostis uobis exprobrans, sed ut pudore suffunderemini, ut reducerem uos ad emen-
dationem, pudefactos nimirum, ac decorum cogitantes spirantesque.

SED dicet aliquis, Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore uenient? Non di-
xit, Vos dicitis, ut sic tolerabilis reddatur sermo, tanquam de alijs non credentibus hæc in-
quirat. Duo autem sunt de quibus dubitatur: ipse resurrectionis modus, & quomodo exci-
tatur semel dissolutum corpus, & quali corpore resurgit, hoc, an alio quodam. Per exemplum
autem grani illa duo dissoluit.

INSIPIENS, tu quod seminas, nõ uiuificatur, nisi moriatur. A perspicuo quoque, & ab
eo quod ab ipsis quotidie agitur, facit dilutionē. Hinc & demētes eos uocat, ut qui adeo mani-
festa ignorēt. Tu, inquit, quod seminas, tu qui corruptibilis es, equi de Deo hæsitas? Nõ uiuifica-
tur, inquit, nisi moriatur, distionib. usus, nõ seminibus, sed corporibus proprijs & accommodis.
Non enim dixit quod aliàs nõ germinet nisi dissoluatur, sed nõ uiuificetur, nisi moriatur. Ob-
serua quomodo in contrariū sermonē conuerterit (illis enim uidebatur ambigū, quomodo
post mortē excitemur) quoniã morimur, p. inde quasi nõ liceret aliter uiuificari, ni mors esset.

ET quod seminas, nõ corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, utputa tritici
uel alicuius cæterorū. Cum duo esse quæ cōtrouerterentur adduxisset, quomodo nimirum
excitentur mortui, & quali corpore: quomodo excitentur, dissoluit, nempe moriendo, quem-
admodum & granum. Iam uerò cum interpretatur quali corpore resurgant, diluit alterū quo-
que de quo ambigebatur. Idem, inquit, corpus, excitatur, uel eiusdem essentia, splendidius
tamen & elegantius. Hæretici autem cōtendunt non idem corpus excitari. hoc enim indicare
Apostolum, cum ait, Non quod futurum. Atqui Apostolus hoc nõ dicit. Quid igitur? quod nõ
seminas quale nascetur, splendidius nempe & elegantius, sed nudum granū, attamen spica de-
centior & pulchrior inde prodit ac exurgit. Neque eadem est omnino, nam spica non est semina
ta, cum culmo nimirum & aristis, sed nudum granum: neque omnino aliud seu diuersum, quan-
doquidem non ex alio grano, uerum ex nudo illo est spica.

DEVS autem dat corpus ipsi, quemadmodum uoluit. Si ergo Deus corpus dat, quid est
quod amplius curiose inquiras quali corpore excitemur, ac diffidas resurrectioni, audiēs Dei
potentiam & uoluntatem? Deus enim dissolutū quidem corpus excitat, uerum pulchrius, de-
centius, & spiritalius. Hoc enim & in seminibus licet inuenire. Nam speciosius & elegantius
dissoluto semine quod natum est germen exurgit.

ET unicuique seminum proprium corpus. Hoc hæreticorum ora irrefragabiliter obstruit,
affirmantium idem corpus in resurrectione non excitari, sed diuersum. En, audis enim quod
suum cuique corpus datur.

Non omnis caro est eadem, sed alia quidem hominum, alia autem pecorum; alia uerò caro
uolucrum, alia uerò piscium. Vt ne cum audis de frumento, arbitreris quod quemadmodū
in hoc omnes spicae æquales prodeant, sic & in resurrectione omnes fore honore pares: mon-
strare uult quod discrimen sit resurgentiū, quod & anteuertens clam attingit, quilibet, inquiēs,
in proprio ordine. Ait autem quod non omnis caro sit eadem caro, hoc est, non omnes pari ho-
nore & æstimatione resurgent: enim uerò primam habent differētiā iusti ad peccatores, quā
habent

Resurrectio una
de quibusdā nõ
credita.

Corpus idē, sed
splendidius res
surgiturum.

D

A habent supercœlestia corpora terrestribus collata. Deinde & in ipsis iustis differentia graduū multa, ut in progressu dicit, adeoq; in ipsis peccatoribus. Ait enim, Perinde ac discrimen est in carne hominum & pecorum, & reliquorum animalium: sic & peccatorū discrimen erit in pœnis. Omnia igitur quæcunq; nunc à Paulo dicta sunt, de discrimine peccatorum dicta sunt. De iustis enim pergens dicit, quando cœlestia recenset corpora.

ET corpora supercœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidē supercœlestiū gloria, alia uerò terrestriū. Hic, quod & suprā dixi, discrimen iustorum erga peccatores ob oculos ponit, hos quidem uocans supercœlestia corpora, illos uerò peccatores terrestria: & alia, inquit, iustorum gloria, alia uerò peccatorum. nec est iam subaudiendum gloria, sed uita.

ALIA est gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum: stella enim à stella differt in gloria. Perinde ac paulo antè corporum peccatorū differentias dixit, ab hominibus exorsus, ac deinceps mentionem faciens uolucrum, pecorum & piscium, eo quod & ipsi peccatores cum ab initio facti essent homines, postea ad brutorum similitudinem delapsi sint, non dissimilem ad modum iustorum iam differentias monstrat. Omnes enim gloriam in resurrectione consequentur: uerū aliud est lumen solis, aliud est lunæ, ad uulgares usque stellas procedendo. Nam & stellæ à stellis discrepant in gloria, hoc est in lumine, in splendore, in claritate. gloria enim stellarum, lumen est. Nonnulli per corpora cœlestia, aŋgelos intellexerunt, non appositè ut opinor. Atque isthuc inde planum fit, quod producat solem, & lunam, & stellas. Quare de angelis non loquitur.

Psal. 48.

Iustorum inter se differentia. Genes. 1.

Psal. 135.

SIC & resurrectio mortuorum. Sic: quomodo: in multo sanè discrimine, perinde ac præscripta patefecerunt exempla.

SEMINATUR in corruptione, resurgit in incorruptione. Suprà cū loqueretur de seminibus, utebatur uerbis corpori accommodis, uelut cum diceret, Non uiuificatur, nisi moriatur: nunc de corporibus uerba faciens, dictionibus utitur semini conuenientibus. Seminatur, inquit, in corruptione. Sationem autem hic dicit, non eam quæ fit in matrice, uerū corporū defunctorum in terra depositionem, perinde quasi dicat: Reponitur in terram corpus mortuū in corruptione, hoc est, ut corruptatur. Pulchrè autem dixit, resurgit siue excitatur, & nō, nascitur, ut ne terræ esse opus existimes.

SEMINATUR in ignominia, resurgit in gloria. Quid enim mortuo seu caduere ignobilius? at enim in gloria & celebritate incorruptibilitatis excitatur, etiam si non eodem omnes fruatur honore.

B SEMINATUR in infirmitate, resurgit in potētia. Ad dierū enim usq; quinque interuallū, caro nō potest persistere aduersus corruptionē, cæterū excitatur in incorruptibilitatis potētia & robore, nulli porro corruptioni obnoxia, etiā si incorruptibilitas impijs sit ad maiores pœnas.

SEMINATUR corpus animale, resurgit corpus spirituale. Corpus ψυχικόν, id est animalium, uel animale (ab anima) quod animæ uiribus gubernatur, & in quo anima dominatum & imperium habet, uocat. Spirituale uerò, quod spiritus sancti operatione abundè utitur, & ab illo in omnibus gubernatur. Etiam si enim spiritus etiamnum in nobis operetur, non sic tamē operatur, neq; semper: auolat enim à committentibus flagitium. Ac præsentem quidem spiritu, anima corpus regit: tum uerò assidue spiritus paraclētus permanebit in corporibus iustorum. Vel simpliciter spirituale incorruptibile dicit, ueluti iam subtiliorum partium & leue, adeo ut & in aère uehatur: attamen non ita ut Origenes dicit, aëreum & æthereum, uel ex aëris ætheris ue substantia constitutum. Quod si de incorruptibilitate hæsitatis, intueret cœlestia corpora, quæ hæstent nullo neq; senio confecta sunt, neq; labore defatigata. Qui enim ea talia condidit, & corruptibilitatem nostram incorruptibilem efficiet.

Corpus animale. Spirituale.

Origenis error.

EST corpus animale. Quod iam habemus in præsentem uita.

ESTQUE corpus spirituale. Quod habituri sumus in futuro æuo, idem cum hoc quod iam circumferimus, uerū spirituale, hoc est, corruptionis expers.

SIC & scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam uiuentē, nouissimus Adam in spiritu uiuificantem. Prius quidem memoriæ præditum est; posterius autem non est scriptum, uerū ex rerum consecutione quod euenit, scriptum esse ait: quemadmodum propheta dixit Hierusalem uocandam urbē iustitiæ. nec tamen apertè uocata est. Ac Dominū ipsum, Euangelium Emmanuelem uocandum, cum tamen ipse eo non sit nomine appellatus, sed res ipsæ hanc uocem, emiserint. Primus itaq; Adam animalis erat homo, id est, animæ uiribus gubernatum corpus habebat: postremus uerò Adam, ipse nimirum Dominus, in spiritum uiuificantem. Nec dixit spiritum uiuentem, sed quod maius est, uiuificantem. Etenim Dominus substantialiter habebat spiritum sanctum sibi unitum, per quem & propriam carnem uiuificabat, nobisq; per ipsum incorruptibilitatem donauit. Proinde corruptibilis huius uitæ pignora in primo Adam habuimus, futuræ autem in Christo.

Gen. 1.

Zach. 8.

Matth. 1.

Adam primus est postremus.

SED nō primū quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Ne quis dicat, cur iam animale corpus habemus, adeoq; deterius, spirituale uerò adhuc futurum est? quoniā principia utrorumq; sic ordinata fuerunt. Nam Adam est prior, Christus posterior: quare res nostræ semper in melius prouehuntur. Crede itaq; quod & quæ nunc in te sunt corruptibilia deterioraq; in incorruptibilia adeoq; meliora transelementabuntur.

Theophylact.

P 3

PRIMVS

PRIMVS homo de terra terrenus, secundus homo, Dominus ex cœlis.] Ne optimū uiuenti genus negligant, in posterū eos adhortaturus est ad uitam Deo placentē. Adam, inquit, ex terra erat, propterea & sic appellatus est: Adam enim terreū & puluereum significat. Homo uero ipse Dominus, ex cœlo erat. Ac alteri quidem à deteriori nomen indit, alteri uerò à præstantiori: nō quòd homo, uel humana Christi natura, assumptio quæpiam ex cœlis esset, ut demens

Adam quid dicitur.

Apollinarij error.

Apollinarius delirabat, cæterū quòd una persona unius Christi, & homo ex cœlo esse propter unionem dicatur, ac Deus cruci affixus esse ob eandem causam feratur.

QUALIS terrenus, tales & terreni.] Hoc est, sic peribunt & morientur, uel quòd peccati morte morientur, qui terræ sunt affixi.

QUALIS cœlestis, tales & cœlestes.] Id est, consimilem ad rationem cum Christo permanebunt, immortales & fulgentes. Etsi enim secundus Adam mortuus est, ideo mortuus est, ut mortem dissolueret. Vel quòd sic ad Dei similitudinem uiuent, & uitam diuinam degēt, ut cœlestia spirare uideantur.

* *gestabimus*, per e, gestabimus siue portabimus: uel per *ω*, *gestabimus*, id est, portemus. utranque scripturam hic notat Theophyl.

ET quemadmodum gestauimus imaginem terreni, † gestabimus etiam imaginē cœlestis.] Planius hic adhortatorium sermonis habitum reuelat. Imaginem autem terreni, praua opera dicit: imaginē uerò cœlestis, bona. Ut igitur in uitis uiuimus, ceu terreni hominis filij, ac quæ terræ sunt cogitantes & affectantes: sic uirtute rursus conspicuam nunc uitam uiuamus, tanquam cœlestis imaginem & imitationē conseruantes. Imago etiam terreni est id quod scriptura dicit: Terra es, & in terram abibis. Imago autem cœlestis, ex mortuis excitatio uel resurrectio, & incorruptibilitas. Proinde si hæc intelligenda sint ceu de resurrectione dicantur, & nō de uita moribus ue, etiam illud quod addit, Gestabimus imaginem cœlestis: non est intelligendum aut scribendum tanquam consulentis, siue adhortantis more sit dictum, sed ut obuenturæ nobis rei sit indicium, id est, quod futurum sit ut gestemus.

Carnales operationes cœli non hereditabunt.

HOC aut dico fratres, quòd caro & sanguis regnū Dei possidere non possunt.] Quia dixerat imaginē terreni, quasi iam hæc interpretetur, ait, Caro & sanguis est imago terreni, hoc est, carnales operationes, corporis etiā crassitie, ppriæ: quæ regni Dei hereditatē adire nō possunt.

NEQUE corruptio incorruptibilitatem hereditat.] Hoc est, malitia animæ nobilitatem corrumpens & perdens, non potest esse hæres gloriæ istius, & incorruptibilium bonorum. Poteris autem hæc omnia non uelut de uita dicta sint, sed de resurrectione accipere: ut illud, Caro & sanguis, quasi dicat, Corruptibile huiusmodi corpus, ex carne & sanguine consistens, in futuro seculo haud fruetur regno. Non est enim illic cibus & potus, quibus omnino huiusmodi corpus nutritur. Neque corruptio, id est corruptibile corpus, corruptione uacantiū hereditatem adibit. Necessè est igitur spirituale fore corpus nostrum, & incorruptibile. Non ueris porrò quòd Chrysostomus hæc ab Apostolo per adhortationis modum dicta, qua ad optimam uitam adhortetur, acceperit.

ECCE mysterium uobis dico.] Ad sermonem de resurrectione institutum redit, atque tremendum quidam & secretum se illis esse dicturum. Indicat autem per hoc se magno illos honore adficere, ut qui secreta eis reuelet.

NON omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.] Non omnes quidem morientur, inquit, omnes tamen immutabuntur, etiā qui non moriuntur, hoc est, ad incorruptibilitatē transferentur. Ne igitur quoniā moriaris, metuas quòd nō resurgas. Ecce enim dico tibi, quòd nōnulli ne morientur quidem. attamen hoc nō satis est eis ad resurrectionē illam, nisi immutentur etiam, & sic ad immortalitatem ueniant à mortalitate illa, quam habent, corporum. Ut igitur illos non iuuat quòd nō moriantur, sic nobis non nocebit quòd moriamur. Nam & illis mutatio mors est. Moritur enim ipsis corruptio permutata in incorruptibilitatem.

IN momēto, in ictu oculi, in nouissima tuba.] *ἰν ἀρέτῳ*, hoc est, in insectili, & indiuisibili, hoc est, minutissimo temporis spacio, ac ueluti palpebræ ictu uel motu, tanta taliaq; fiet: quæ res est ualde admiranda. Non enim tantū quia putrefacta corpora resurgēt, nec quòd quisq; propriū recipiet, mirari conuenit, uerū quòd adeò celeriter, ut nullis etiā uerbis exprimi possit.

Apoc. 8. & 10.

Nonnulli uerò quod ait in nouissima tuba, sic intellexerūt, quasi ex Apocalypsi Ioannis euangelistæ interpretantes. Septē tubæ, inquit, cum sint, primæ quidem consummationē hominū faciunt. nō enim simul omnes conficiuntur & consummantur, sed ex parte, uel ex successione. Atq; hæc est, inquit, dispensatio & ordinatio Dei, ut cum primos intereuntes, qui relinquuntur, cernunt, ipsi respiciant. Extrema, inquit, tuba resurrectionem & immutationem eorū qui iam resurrexerunt, facit, in instanti, in momento, in ictu oculi.

CANET enim tuba, & mortui excitabuntur incorruptibiles.] Ut ne ambigat quispiam, quomodo talia tantaq; ac tam ardua in oculi ictu fieri queant, uerbo suo auctoritatem parit, fidemq; conciliat ex potentia hæc facientis Dei: Canet, inquit, tuba, & fiet simile ei loco, Ipse dixit, & facta sunt. Tuba enim nihil aliud quàm iussum & nutum Dei significat, omnia transeuntem, & omnia præuenientem.

Psal. 12. Tuba.

ET nos mutabimur.] Non de seipso hoc dicit, sed de eis qui uini deprehenduntur.

OPORTET enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatē, & mortale hoc induere immortalitatem.] Ut ne audiens aliquis quòd caro & sanguis regni Dei hereditatē non adeant: & rursus quòd mortui resurgent incorruptibiles, existimet ipsa corpora non resurgere, quòd

A nunc ex carne & sanguine consistunt, inferunt: Resurgent, inquit, quidem corpora, sed non quæ caro & sanguis sint, sed quæ in incorporabilitatem sint transformata. Obserua aut uerba hæc aduersus eos qui dicunt quod non eadem corpora resurgant, sed alia. Corruptibile enim hoc, inquit, & mortale hoc, non aliud, sed hoc, cum demonstratione. Itaque corpus quidem idem manet, ipsum enim est quod induitur: mortalitas autem & corruptibilitas aboletur & euanescit, immortalitate & incorruptibilitate ipsum continente, & amplectente. Est autem discriminē inter corruptionem & mortalitatem, quod mortalitas dicatur de solis animatis, corruptio autem etiam de inanimatis. In nobis igitur sunt quædam inanimatis similia, uelut capilli & unguis: hæc igitur etiam incorruptibilitatem induent.

Corruptio & mortalitas differunt.

QUANDO autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam.] Quando hæc contigerint, tunc impletur quod ab Osee scriptum. Quia enim opinionem hominum exuperantia dixisset, scripturæ eadem testimonio confirmat. Quod autem ait in uictoriam, hoc est, in finem & plenè, ut uicta omnino & perfectè exterminetur uel deleatur, ut nulla spes ei in posterum ullius potentia relinquantur.

Osee 13.

UBI ò mors stimulus tuus: ubi ò inferne uictoria tua? Perinde ac res gestas conspexisset, impetu & spiritu diuino agitatus, uictoriæ destinata molen concinit: uociferatur & exultat, ueluti prostratæ morti insultans, eamque pedibus conculcans. Inuenire autem queas discriminē quoddam inter infernum & mortem: nimirum quod infernus animas contineat, mors uero corpora: nam animæ sunt immortales.

Inferi. Mors.

STIMULVS uero mortis, peccatū est.] Per illud enim potens fuit, ipso ceu armis quibusdā & stimulo utens. Perinde namque: ut scorpius animalculum est exiguum, in aculeo autem robur habet: consimilem ad rationem mors per peccatum robusta fuit, aliàs inefficax. Argumento est seruatoris opus. Cum enim mors in hoc peccatum non inueniret, inefficax mansit.

Scorpius.

VIRTUS autem peccati, lex.] Quomodo? Quoniam si lex non esset, per ignorantiam peccantes non sic condemnaremur. Lex autem ipsum manifestans, non magis condemnauit, quippe qui in cognitione & scientia peccati delinquamus: forteque peccatum fecit, non per ipsius naturam, sed ob nostram socordiam, qui non rectè uti simus dato nobis remedio: sicut & in epistola ad Romanos latius & fusius dictum est. Ne igitur dubites de resurrectione, ò homo, cum uideas peccatum sublatum, quod mortis scutum erat & arma: cumque lex sit abolita, quæ erat ex euentu robur & potentia peccati. Nam planum est quod exarmata mors non porro sit ualida.

Lex peccati robur.

B DEO autem gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.] Domini est certamen, nobis autem uictoria data est: non ex retributione, neque ex debito, uerum per gratiam & clementiam Dei & patris, qui fecit nos uincere per certamen filij sui.

ITAQUE fratres dilecti, stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini semper.] Quia cognouistis, inquit, quod resurrectio sit futura, & compensatio bonorum & malorum, firmi stabilesque estote. Concutiebantur enim sermonibus de resurrectione. At cum negligenter uitæ honestatem, atque mores Christo dignos, tanquam non esset resurrectio, inquit: Abundantes in opere Domini semper, non solum ipsum facientes, uerum etiam abundè efficientes. Opus autem Domini hoc est, quod diligit Dominus: & quod postulat à nobis, ipsa uirtus est.

SCIENTES quod labor uester non est inanis in Domino.] Hoc est, futuram resurrectionem sperantes, credentesque: uos non amissuros quæcumque hic laboraueritis. Antehac quidem negligebatis uirtutem, quippe qui non crederetis resurrectionem esse, neque uelletis temerè adeoque frustra laborare: nunc autem nouistis quod si quid laboraueritis, non sit futurum uanum. Quod uero ait, In Domino, uel quod labor uester qui est in Domino, hoc est à supernis auxiliū habes, ut qui fiat ob opera Deo gratia: uel, apud Dominum non uanus fiet labor uester, uerum accipietis ab illo compensationes.

CAPVT XVI.

DE collecta uero quæ sit in sanctos, sicut ordinavi in ecclesijs Galatiæ, sic & uos facite.] Absoluto de dogmatibus sermone, ad summam uirtutum eleemosynam uenit. *κοινωνία* autem dicitur collectionem, legem statim ab exordio re faciens. Nam quod à multis contribuebatur, cuiuslibet erat leue. Deinde ad emulationem eos ducit commemoratione eorum quæ alij gnauiter trasegerunt. Sicuti Galatiæ, inquit, fecerunt. Non dixit autem, hortatus sum, uerum ordinavi, quod erat maioris autoritatis, ut discas ordinationem esse regiam, neque rem ipsam adsperneris.

Eleemosyna, uirtutum summa.

IN una sabbatorum unusquisque uestrum apud se seponat recondens quod prosperum fuerit.] Vnam sabbatorum, Dominicam uocat, hoc est, primam sabbati uel hebdomadis dierum. Atque à die ad eleemosynam eos hortatur, mysteriorum quæ in ea peraguntur, mentionem faciens. Valde autem prudenter iubet quemlibet colligere quod successerit, hoc est, quicquid Deus dederit ac miserit, & quod facile potest. Non enim dixit, statim fer, ut ne parum quis habens pudeat: sed enim apud te ipsum collige, & quando operæ precium fuerit, tum adfer.

Vna sabbatorum, Dominica dies.

VT ne cum uenero, tum collectiones fiant.] Ut non cum opus fuerit expendere, tum primum colligatis. Porro quia cum uenero ait, per hoc eos promptiores facit ad collectionem, quasi contributio ad oculos ipsius peruentura sit.

QUANDO autem aduenero, quos probaueritis, per epistolas hos mittam perferre gratiam uestram in Hierusalem.] Pulchre, quos probaueritis, ubique scandala aufugiens, ne suspi-

centur ipsum uelle quicquam sublegere à collectis. Comma igitur post uerbum probaueritis adijce: deinde lege, per epistolas hos mittā: ut huiusmodi inde sensus cōcinnetur, quos probaueritis, hos mittam per literas meas. Gratia autem rē ipsam uocauit, id est, liberalitatē, ut ostendat, eos magni quicquā facere nō ex mœnore uel necessitate. Tale enim quiddā est gratia. Nam si dixisset eleemosynam, indignum fuisset sanctis qui accepturi erant.

SI autem dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt. Si, inquit, quod collectum est, tantū sit, ut meo sit ministerio dignū, ego simul abibo. Per hoc eos ad liberalitatē inhortatur. Testes autem habere uult, quōd ipse nihil sit accepturus, propterea dicit, mecum ibunt.

VENIAM autem ad uos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud uos autem forsan permanebo, aut etiam hybernabo, ut uos me deducatis quocunq; iero. Nolo enim uos modo in transitu uidere. Spero autē aliquantū temporis me permanfurum apud uos, si Dñs permiserit. Non dixit, in Macedoniam proficiscor, ne obijciant, Nobis ergo Macedones præfers: uerū tanseo Macedoniā, hoc est, festinanter, ac ueluti in transcurso eos uideo: apud uos autem permanebo. Per hoc autem indicat quōd eos Macedonibus anteponat, ceu magis genuinos discipulos, ac digniores: nam magna erat apud Corinthios ecclesia. Terrorem autem incutit peccantibus, cum inquit, Permanebo. Præponit autem, forsan, quia haud satis certus erat. Nō enim compertum habebat, permitteretur ne ei hoc à spiritu sancto, an secus. A spiritu enim ducebatur, quocunq; ipse spiritus uolebat. At uerò cum esset Ephesi, profecturus erat in Macedoniā, atq; eam transurus celeriter, deinde ad eos iturus. Plerisque autem argumentis suam testatur erga eos beneuolentiam & propensionem, quōd nolit eos in transcurso & obiter uidere, & quōd uelit ab eis deduci.

PERMANEBO autem Ephesi ad Pentecosten usq;. Istud quoq; impensè diligētis est indicium, planum facere ubi moram nectat, & quandiu sit permanfurus, quinetiam causam apponere. Infert enim:

Præceptoris
gaudium discipulorum
alacritas.

OSTIUM enim mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi. Hoc est, multi accessuri sunt ad fidem. Præceptorum nanq; angustia est, si non habeat promptos discipulos: gaudium uerò, si inuenerit alacres. Aduersarij autem multi eam ipsam ob causam. Satanas enim uidens sese iam nudatum ac derelictum, uehementius perturbatur, aduersariosq; excitat.

SI autem uenerit Timotheus, uidete sine timore sit apud uos. Quia uerisimile erat fore ut Timotheus postquam Corinthum uenisset, carperet delinquentes, atq; obiurgaret, certiores ipsos facit & præmunit, ne diuites sapientes insurgant aduersus eum: non quōd meticulosus & effæminatus Timotheus à constantia præconē Christi decente casurus erat, sed quod dandum & incommodum inde ipsi reportarent. Nam ille admodum fortiter aduersum pericula instructus erat. Pulchrè uerò dixit, Apud uos. Ne enim mihi dixeris Græcos, dum ea interim à uobis requiram, ut tutus sit.

Timothei uirtus.

OPVS enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat. Hoc est, prædicat & docet: nec simpliciter, sed sicut ego: quæ magna sanè Timothei laus est. Cum igitur sit huiusmodi, nemo ipsum uilipendat. Iuuenis enim erat, & solus, ac tanti tamq; superbi populi cura ei commissa erat, probabileq; erat ipsum uilipensum iri.

DEDUCITE autē ipsum in pace, ut ueniat ad me: expecto enim ipsum cū fratribus. Potius igitur & honorate eum, hoc enim hic *ὑποτάξτε*, honoris causa deducite, & prosequamini significat. In pace autē, hoc est, intrepidè, sine pugna & cōtentione, cū omni obedientia. Expecto porro ipsum, terrentis est, ut sciētes quōd omnia ei sit denarraturus, nulla in re ipsum adfligat. Ac iuxta honoratiōrē eū reddit. Siquidē adeo est illi op⁹ opera Timothei, ut ipsum etiā expectet.

DE Apollo autem fratre, multum adhortatus sum ipsum ut ueniat ad uos cum fratribus, & omnino non erat uoluntas ut nunc ueniret. Apollo hic grandior erat natu Timotheo, & uir facundus. Ne igitur dicant, cur ipsum non miserit, sed eum qui iunior esset: Multum, inquit, ipsum adhortatus sum. Nec dicit, Restitit mihi, cæterū illum ab accusatione liberans: Omnino, inquit, non erat uoluntas, hoc est, Deus noluit. Ne autem hunc fucum esse dicant, inanēq; prætextum, subdit:

VENIET autem, cum opportunitatem nactus fuerit. Cū Timotheum defendit, tū hūc expetentes uidere Corinthios animat & consolatur spe aduentus.

VIGILATE. Rursus in fine eos admonet: ostendens quōd ipsos non oporteat spem collocare in doctores, sed ad seipos potius respicere. Dicit ergo, Vigilate, propter deceptores. quasi autem dormitarent ipsi, hoc dixit.

STATE in fide. Non in externa sapientia: in ea enim nemini stare licet: sed circumagi ac rotari. Hoc, quasi uacillassent, ait.

VIRILITER agite, estote fortes. Propter eos qui insidias struunt. Quasi effæminati & minus fortes essent, hæc dixit.

OMNIA uestra in charitate fiant. Hoc ad dissidentes, & ecclesiam diuellentes pertinet. Siue enim docet quispiam, siue discit, siue obiurgat, omnia in dilectione fiant. Nō erit inflatio inter uos, neq; dissensio, charitate intercedente.

OBSECO autem uos fratres. Hyperbaton est: Obsecro uos, nimirum ut & uos talibus geratis morem. Alia uerò hic sunt inspersa.

A NOSTIS domum Stephanæ, quòd sit primitiæ Achaiæ.] Vos (inquit) tenetis, nec habetis necesse ut à me discatis. Primitias autè Achaiæ uocat Stephanam cum suis, uel quòd primi ipsi crediderint, uel quòd optima uita splenduerint. Primitiæ autem undiq; excellentiam habere debent earum rerum, quarum sunt primitiæ. Achaiam autem Græciam uocat.

*Achaia,
Græcia.*

ET quòd ad ministerium sanctis seipso ordinauerint.] Ut pauperes fideliter susciperent, ipsisq; ministrarent, seipso posuerunt atq; segregarunt: non ab alijs constituti necessario, sed suapte sponte se adducentes.

VT & uos subditi sitis talibus, & omni cooperanti & laboranti.] Hoc est, simul suscipite & adiuuate eos & sumptu pecuniarum, & ministerio corporali. Non dixit simpliciter, cooperamini, cæterum uehementem obedientiam ostendens, subditi sitis, inquit. Ne autem uideatur soli Stephanæ gratificari, infert, Et omni cooperanti & laboranti. Vbi: ad sanctorum ministerium: digni enim omnes tales honore. Sic enim fit, ut laborem facilius tulerint.

QUONIAM uestrum defectum hi repleuerunt.] Ili sunt qui diuo Paulo annunciarunt de dissensione quæ erat apud Corinthios, deq; alijs peccatis. Tum qui ex Chloës familia erant: per hos forsitan hæc illi indicarunt. Quia igitur uerisimile erat Corinthios aduersum hos efferrari, commendat eos, inquit: Vestrum illi defectum repleuerunt, hoc est, pro omnibus uobis uenerunt, & propter uos tantam profectioem destinarunt ad me.

REFECERVNT enim uestrum spiritum & meum.] Monstrauit ipsis, quòd ipsius recreatio, ipso quoq; sit. Itaq; cū ego refocillatus sum ab ipsis, & uos inde lucrati estis illud ipsum, meam nempe refocillationem, nihil ingratum & triste aduersus eos ostendatis.

AGNOSCITE igitur tales.] Hoc est, honorate eos.

SALVTANT uos ecclesiæ Asiæ.] Conglutinat membra Christi per salutationem, quemadmodum consuevit semper facere.

SALVTANT uos in Dño multū Aquila & Priscilla, cū ecclesia quæ est in domo ipsoꝝ.] Apud ipsoꝝ enim manebat, tabernaculoꝝ artifex cū esset & ipse. Obserua autè ipsoꝝ uirtutè, quoniam domum suam ecclesiam fecerunt, collectionem fidelium in ea facientes.

*Aquila,
Paulus manibus
operatur.*

SALVTANT uos fratres omnes. Salutate uos mutuò in osculo sancto.] Hanc appendicè osculi sancti hic solum apponit, ob multas dissensiones. Quia ergo multum eos adhortatus erat ut coadunarentur, ut in unum coniungerentur, in unum deinceps eos iungit & per osculum sanctum, hoc est, dolo carens & simulatione.

SALVTATIO mea manu Pauli.] Sua manu salutationem facit, ut ostendat quòd plurimi fecerit epistolam.

B SI quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit.] Vno hoc uerbo cunctos terruit fornicatores, disidiorum excitatores, idolothyta manducantes, resurrectioni nõ credentes, adeoq; omnes simpliciter qui apud eos extra suam institutionem & traditionem agebant: huiusmodi enim omnes non amant Dominum.

MARANATHA.] Hoc est, Dominus uenit. Hoc autem dixit partim ut stabiliat dispensationis & incarnationis uerbum, ac per hoc resurrectionem, partim ut rubore eos suffundat, adeoq; pudefaciat, quoniam Dominus pro nobis omnia pertulit ac suscepit. Vos autem prouocatis eum, alij quidem ab hominibus uocati, alij uerò mala perpetrantes. Non est autem usus græca dialecto, sed Hebræa, imò Syrorum potius lingua. Quandoquidem apud Corinthios uerba faceret, qui ob externam sapientiam & Græcæ linguæ elegantiam multum superbirèt, indicat quòd adeò non indigeat ipse sapientia hac, ut & de uulgari & uili lingua gloriatur, adeò ut & barbara lingua loquatur.

Maranatha.

GRATIA Domini nostri Iesu Christi uobiscum.] Doctoris est, non solum adhortari, uerum etiam optare & orare, ac bifariam fulcire, tum doctrina, tum superni auxilij per orationes suppeditatione.

Doctoris officium.

DILECTIO mea cum omnibus uobis in Christo Iesu. Amen.] Quia loco distabat, ceu dexteræ cuiuspiam extensione, charitatis manibus eos complectitur, inquit: Dilectio mea uobiscum, quòd est cum omnibus uobis. Non enim à uobis absum ego, etiamsi loco distem. Per hæc iuxta commonstrat quòd hæc neq; indignationis, neq; iracundiæ uerba fuerint quæ scripta sunt, sed charitatis & curæ, etiamsi amarulentæ non nihil præ se ferrent. Ne uerò arbitrentur quòd hæc adulans loquatur, adijcit, In Christo Iesu: hoc est, nihil humanum aut carnale charitas mea habet, sed spiritualis est, & in Christo. Precemur igitur & nos, ut nos mutuò inter nos diligentes in Christo, nihil mundanæ charitatis in nobis circumferamus, quæ inimica est Deo. Sic enim & dilectis Dei tabernaculis digni iudicabimur in Christo Iesu, qui dilexit nos, cui gloria in secula seculorum. Amen.

IN SECUNDAM DIVI PAULI APOSTOLI
ad Corinthios epistolam, Theophylacti
ARGUMENTVM.

Alteram ad Corinthios epistolam diuus Paulus apponit, quia promiserat in priore, se uenturum ad eos, cunctatus est autem, ceu spiritum cum ad alia magis necessaria occupante,

cupante, tentationibusq; aduersus eum insurgentibus, necnon in ipsum inuadentibus. De-
buit igitur Apologiam suae diuturnae morae texere. Ideoq; secundam hanc epistolam cōscri-
bit, rationem reddens cur haecenus aduentum suum distulerit. Simul autem ex priore epi-
stola meliores factos debuit approbare & commendare. Perinde namq; ut peccantes accusa-
bat, sic iam in meliorem uiam reductos efferre laudibus decebat. Proinde nō multum acris
& uehemens est haec epistola, nisi in paucis sub finem partibus: idq; propter Iudeos ostentan-
tes sese, apostolumq; calūniantes, tanquā indoctū, ac nullo numero dignum.

SECUNDAE AD CORINTHIOS

CAPVT I.



AVLVS apostolus Iesu Christi, per uoluntate Dei, & Timotheus frater.] Mis-
so illuc in prima epistola Timotheo, ac denuo recepto, non iniuria sibi ipse eū
connectit: nam & suae uirtutis experientiam Corinthijs dederat Timotheus.
Assumit itaq; eum in hac epistola, ceu eum qui ipsis iam innotuerit, nec nō ple-
raq; correxerit apud eos. Obserua autem quod nonnunquam filium hunc ap-
pellat. Tanquam patri enim, inquit, filius, seruiuit mihi. Nonnunquam autē coo-
peratorem, ut cum ait, Opus Domini operatur, quemadmodum ego. Iam nunc uero fratrem,
ex omni ipsum parte honore adficiens.

Philip. 2.
1. Cor. 16.

ECCLESIAE Dei, quae est Corinthi.] Rursus eos colligat & connectit, ecclesiam dicens.
Qui enim dispersi sunt, non sunt ecclesia.

CVM omnibus sanctis qui sunt in uniuersa Achaia.] Omnium in uniuersa Achaia memi-
nit: partim ut Corinthios honoret, ueluti omnibus per literas haec ad eos perscriptas salutē
impertiens: partim ut ad concordiam conuocet cōgregetq; uniuersam gentē. Præterea quia
cōmuniter concutiebantur omnes, cōmunem adhibet curā, adeoq; medicinā: quod & ad Ga-
latas & ad Hebræos scribens facit. Sanctos uero eos appellans, ostendit quod si quis sit impu-
rus, non sit dignus & salutatione & appellatione hac.

Impurus nemo
sanctus.

GRATIA uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Consuetam etiamnum
salutationem utitur: in alijs autem de his dictum est.

BENEDICTVS Deus, & pater Dñi nostri Iesu Christi.] Promiserat in prima epistola ad
eos uenturū se: deinde quia distulerat, suspicabatur eos ualde mœrore confici, ceu alij antelati
ipsis essent. Volens igitur defendere se, & cōmonstrare quod haud paucis tentationibus se in-
uadentibus fuerit impeditus, scite facit apologiā. Gratias, inquit, ago Deo, ut qui me liberaue-
rit è periculis: per gratiarū actionē clanculū indicās, quod magna fuerint quae ipsum inhibue-
rint, à quibus liberatus, gratias agit. Adijce autē cōma, ad Deum, dictionē: postea incipe, Et pa-
ter Dñi. Sin cōtinuē & iunctim intelligas, Deus & pater Dñi, nihil nouum est. Etenim eiusdē
est & unius Christi secundum humanitatē quidē Deus, secundū uerō diuinitatem pater.

Psal. 17.
Psal. 26.

PATER misericordiarū, ac Deus totius cōsolationis.] Hoc est, qui tot tantasq; miseratiōes
exhibuit, ut ex ipsis nos mortis portis reducerit, ac dignatus sit nos omni cōsolatione in affli-
ctionibus. Consuetudo autē erat sanctis, Deum ex beneficijs quae ab eo accipiebāt, nominare.
In uictoria itaq; in bello aduersum hostes obtenta, Diligā te, inquit, Dñe robur meum. & Dñs
protector meus. Cū uerō à caligine & obscuracione rationis & mentis, & mœrore erepti fue-
rint: Dñs illuminatio mea. Haud dissimili ratione nunc quoq; diuus Paulus patrem miseratio-
num, ac Deū cōsolationis ipsum nominat, ab eo quod cōtigit. Intuere hic minimē elatam diui
Pauli mentē. Siquidē ereptus à tentationibus, quibus ob euangelij prædicationē excipieba-
tur, non dicit pro dignitate uel merito suo se ereptū, ceterum per miseratiōes Dei.

QVI consolatur nos in omni tribulatione nostra.] Non dixit, non sinens nos affligi, uerūm,
in afflictione nos consolans. Sinit enim nos affligi, ut per patientiā mercedē habeamus. Porro
quando nos uiderit labātes, cōsolatur nos: idq; semper facit. Ideoq; nō dixit, qui cōsolatus est
semel, sed qui consolatur, hoc est semper: non in hac uel illa afflictione, sed in omni.

VT possimus nos cōsolari eos qui sunt in omni afflictione, per cōsolationem, qua nos ipsos
consolatur Deus.] Nō quod digni simus cōsolationē accipere, propterea consolatur nos De-
us, uerūm ut ab exemplo cōsolationis quae mihi obuenerit, alios etiā cōsolari ualeā, si quando in
tentationibus fuerint. Proinde & uos conspicientes me adeo cœlesti solamine animatum, ne
à spe excidite si in afflictionibus sitis. Per hoc autem & apostolorum opus indicat, quod sint
constituti ipsi ut alios ad certamen ueluti inungant & excitent: nec perinde ac pseudapostoli
delicijs studeant, ac domi desidentes, negligāt eos qui cōsolatione & excitatione opus habēt.

Apostolorum
munus.
Pseudapostoli.

QVONIAM sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & con-
solatio nostra.] Ne despondeas animū quisquis audis afflictiones & mala, inquit. quāto enim
exuberant haec ipsa mala, tanto exuberant cōsolationes. Non simpliciter autē dixit passiones
sive afflictiones, sed Christi: ut & inde animū Corinthijs addat. Christi enim, inquit, passiones
sunt, quas hic nos patimur, nosq; efficiuntur participes afflictionū ipsius. Maxima uerō sit haec
ipsa

Christi afflictio-
nes patimur.

A ipsa consolatio, quod Christi afflictiones sustineas: imò uerò non illas solas, uerumetiam plures. abundat enim, inquit, passiones Christi in nos, hoc est, plures perferimus, quam Christus pertulerit. Sentiens aut quale quantumque dixerit, quam uis sit arduum, rursus remittit ipsum: Sic, inquit, per Christum exuberat & consolatio nostra. Vniuersum aut Christo acceptum refert. Nec dicit quod consolatio afflictiones æquiparet, uerum exuberat, & longè maior est ipsis afflictionibus.

SIVE autem tribulamur, pro uestra consolatione ac salute.] Propterea, inquit, non oportet uos turbari ob meam afflictionem: nam pro uestra consolatione & salute affligimur. Potuissemus enim nos in tuto agere, si non prædicaremus Euangelium: nunc autem cum prædicamus, ut omnino uos saluos faciamus, consolemurque animas uestras per prædicationem, & per inde nascentia bona, in tribulationes incidimus. Itaque afflictiones sustinemus pro uestra salute. Proinde non est quod in posterum turbemini.

QUAE efficitur in patientia earundem passionum, quas & nos patimur.] Efficitur, inquit, ipsa salus non tantum per nostram patientiam, sed etiam per uestram: hoc est, non mei solius opus est salus uestra, sed & uestri ipsorum. Ut enim ego prædicans uerbum affligor, sic & uos prædicationem suscipientes, eadem mala uel tribulationes sustinetis, quas & ego. Haud exiguae autem ipsorum uirtuti testimonium dicit, quod cum tentationibus & afflictionibus prædicationem recipere.

ET spes nostra firma est pro uobis.] Hoc est, firmiter de uobis confidimus quod ob afflictiones, aduersum uos ingruentes, non immutabimini: multo igitur minus turbabimini ob ea quae nos pati cernitis.

SIVE consolationem accipimus, pro uestri consolatione & salute.] Quia dixerat supra, propter uos affligimur, ut ne uideatur graue quiddam dicere, ait iam, & propter uos consolationem accipimus, id est, nostra consolatio, uestra est refocillatio. Si enim parum nos respirauerimus, satis hoc est ad consolationem uobis. communicatis enim nobiscum in uoluptate, estisque uoluptatis nostrae consortes.

SCIENTES quod quemadmodum estis participes afflictionum, sic & consolationis nostrae.] Quemadmodum, inquit, dum nos persecutionem patimur, uos doletis, tanquam istud uos ipsi pateremini: sic scimus, quod cum consolationem accipiamus, uos eam consolationem uestram esse ducitis, eiusque uos esse participes existimatis.

NON enim uolumus uos ignorare fratres de tribulatione quae nobis facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus, & supra uires, ita ut nos desperauerimus etiam de uita.] Quia indefinitè afflictionis meminerat, speciatim iam qualis fuerit explicat. Charitatem erga eos suam hoc modo indicat. Charitatis enim est, quae utriusque mutuo contingant, patefacere. Simul autem apologiam texit pro tarditate sua. In Asia autem obtigisse sibi afflictionem meminuit, de qua & in prioribus literis locutus est: Ianua mihi aperta est ingens, aduersariique multi. Videtur autem bis idem dicere, cum ait: Supra modum, & supra uires: sed non ita est. Quod autem ait, est huiusmodi: Supra modum siue per excessum erat tædium, id est magna. Deinde postquam magna possit esse tentatio, & interim fortiter etiam baiulari à potenti quopiam, nedum magna erat, inquit, uerumetiam uires nostras excedebat: hoc est, ingens erat, & planè intolerabilis, ac tanta, ita ut nos desperauerimus etiam de uita, hoc est, non expectaremus porro uiuere. Talem autem tentationem Dauid portas inferni nominat, ac dolores parturientis, tanquam quae mortem pariat, umbramque mortis.

SED ipsi in nobis ipsius responsum mortis habuimus.] Iudicium, calculum, responsionem quae dabant res tantum non uocē edentes, hoc est, quatenus ad cogitationem nostram adstitit mortis expectatio, & responsum quod rerum natura edebat, ultra autem non peruenit.

UT non simus fideles in nobis, sed in Deo.] Cur autem hoc factum est: ut discamus, inquit, confidere non in nobis ipsis, sed in solo Deo. Hoc autem dicit non tamquam ipse Paulus istud nunc discere opus habeat, quis enim eo melius & plenius norat, quod in solū Deū nos confidere oporteat: uerum alios componens per hanc quae de seipso loquitur, simul etiam ut doceat nos non alta spirare.

QUI suscitatur mortuos, qui ex tali tantaque morte eripuit nos & eripit.] Rursus eos comonefacit sermonis de resurrectione, de qua tot in precedenti epistola dixit, stabiliens eam & à presentibus. Hinc etiam intulit, Qui ex tali nos morte liberauit. Non enim dixit, à periculo, sed morte. Quia enim resurrectio res futura erat, & incerta, monstrat quod in singulos id dies fiat. Cui enim hominē qui ad portas usque mortis peruenerit, retraxerit Deus, nihil aliud quam resurrectio iudicatur: unde & consueuimus de his dicere quod mortuorum resurrectionem uiderint.

SPERAVIMUS autem quod & adhuc eripiet.] Hinc discimus, quod militare, adeoque semper certamini obnoxiam oporteat esse uitam nostram. Quod enim ait, eripiet, multarum tentationum agmen prænunciat.

ADIVVANTIBVS & uobis per orationem pro nobis.] Quia quod dixerat Paulus, ut ne confidentes simus in nobis, communis quaedam accusatio esse uidebatur, quae quosdam etiam illorum subnotaret: lenit iam dictum, & consolatur eos, & orationes eorum magni praesidij loco implorans. Docemur autem & hinc humili esse mente praediti, siquidem Paulus Corinthiorum precibus indigebat. Hinc etiam discimus ipsius orationis uim. Multum enim efficit precatio ecclesiae, si fiat ut oportet, adeo ut & Paulus hac opus habeat.

Amoris indicium.

1. Cor. 16.

Tentatio intolerabilis, porta inferi.

Psal. 17.

1. Cor. 15.

† ad h. id est, inferi, habet co-dex Basiliensis.

Hoc est, precatio efficacis.

VT ex multis personis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis.] Eripuit, inquit, nos Deus, & eripiet per uestras preces, ut donum in me collatum quod per multos, hoc est, gratia quæ mihi facta est per multos, hoc est, uobis pro me orantibus, ex multis personis gratum fiat, nimirum uestris. Salutem enim meam per orationes uestras factam, omnibus uobis donauit, ut multæ personæ ipsi gratias agant pro nobis. Docemur autem hinc, non modò ut alter pro altero intercedat apud Deum, uerùm etiam ut alter pro altero gratias agat. Obserua autem quomodo in exordio, per miserationes Dei se seruatum esse dixerit: nunc uerò eorùm orationibus salutem & incolumitatem adscribat. Est enim operæ precium, ut cum diuina misericordia, nostra pariter adferamus. Atque hinc Paulus neque totum beneficium Corinthiis tribuit, ne ipsos efferat superbire uel faciat: neque omnino eos priuauit hoc, ne segniore reddat. Eripiet enim, inquit, Deus, uobis etiam cooperantibus & adiuuantibus, & preces uestram, hoc est, uestra etiam adferentibus.

Conscientiæ pu
ræ fiducia.

NAM gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ.] Et hæc, inquit, occasio est consolationis, Conscientia nostra testimonium nobis exhibens, quòd non tanquam prauis rebus capti agamur, & persecutionem patiamur, sed uirtutis, multorumque salutis causa. Prior itaque consolatio ex Deo erat, hæc uerò ex conscientiæ meæ puritate, inquit. Eam ob rem & gloriationem ipsam nominat, multam ostendens fiduciam quam habebat in pura conscientia.

Carnalis sapien
tia.

QUOD in simplicitate & sinceritate Dei.] Quid testatur, inquit, nobis conscientia, & quare gloriamur? quoniam in simplicitate, hoc est, minime praua sententia: & sinceritate, hoc est puritate mentis, & candore fallaciæ experte, quæ nihil habet obscuratum, aut hucerosum, qualè Deus recipit. Hæc autem dicit ob fallaces pseudapostolos.

NON in sapientia carnali.] Hoc est, in potentia & uirtute uerborum, ac nexu sophismatum. Hæc enim carnalis est sapiëntia, cuius causa cum ipsi efferrentur, eandem ipse negat atque repellit.

SED in gratia Dei conuersati sumus in mundo.] Hoc est, in sapientia quæ mihi per ipsum est donata, & in signis & prodigijs, quæ gratia fuerunt Dei. Maxima autem consolatio est, quempiam sibi conscium esse quòd non humana uirtute, sed diuina hæc gratia faciat: non apud Corinthios tantum, uerùm etiam in toto mundo.

ABUNDANTIVS autem ad uos.] Quomodo? Quoniam cum signis, etiam citra sumptum, Euangeliũ eis prædicauit. Vide hinc, quòd ipsius opus, officium & uirtus erat, gratiæ Dei adscribit.

NON enim alia scribimus uobis, quam quæ legitis, aut & agnoscitis.] Quia de seipso magna uisus est dicere, ne quis dicat hæc uerborum quempiam factum spirare, adijcit, Illa scribimus uobis, quæ legitis in literis hisce, agnoscitis autem & uos præuenientes. Non enim aduersatur literis meis uestra cognitio, quam prius conceptam de me habebatis. Quidam uerò sic intellexerunt: quoniam illa scribimus uobis quæ legitis, hoc est, quorùm memoria uobis renouatur. Lectio enim est suggestio, uel repetitio, uel superior quædam cognitio. Quid dicam, inquit? quorum memoria uobis renouatur, cum agnoscatis nostri esse propria, neque opus habere suggestionem, eo quòd sint perspicua.

SPERO autem quòd ad finem usque agnoscetis, quemadmodum agnouistis nos ex parte.] Totum Deo acceptum refert. Spero autem, in Deum uidelicet, quòd tales nos agnoscetis, quales & epistolæ nostræ indicant, ac præterita nostra uita spondet. Ex parte namque nos agnouistis, hoc est, experti estis, cum nos ex parte uobis demonstrauius quædam uitæ præclaræ indicia. Mediocria autem spirans, & moderata hæc loquutus est.

Gloriari quædo
nobis licebit.

QUIA gloria uestra sumus, sicut & uos nostra, in die Domini Iesu.] Quid agnoscetis? quòd gloria siue gloriatio uestra sum, hoc est, talis sum, ut de uobis occasionem de me gloriandi, quoniam talem habetis doctorem, qui nihil uos humanum docuerit aut fictum, neque fallax quicquam. Deinde ne uideatur arrogas, si de se magna sentiat, communem facit gloriationem, inquit: Vos etiam mea eritis gloriatio. Gloriabor enim quòd huiusmodi nactus sim discipulos, qui neque concutiantur neque decipiantur à pseudapostolis. Quando uerò inter nos mutuo gloriabimur? Et nunc quidem, sed potissimum in die illa. Hodie namque haud pauci conuicia & opprobria quæ sustinemus nos, uident, ac fortasse calumniantur nos. Tum uerò ubi cuncta reuelata fuerint, uidebor & ego, adeoque palam fiet omnibus quòd non sim talis, qualem pseudapostoli calumniantur. Vos autem gloriatio uestra eritis, quòd non tales uos gesseritis, ut impostoribus accederetis.

ET hæc fiducia uolui prius uenire ad uos.] Quali quæso fiducia? quòd nihil mihi mali conscius sim, quòd gloriatio uestra sim, quòd in carnali sapiëntia non sim uersatus, sed in gratia Dei, quodque uos horum omnium testes habeam. Propter hæc igitur (inquit) uolui uenire ad uos.

VT secundam gratiam haberetis.] Hoc est, duplex gaudium, tum id quòd contigit per priorem epistolam, tum illud quòd accepturi estis per aduentum meum.

1. Cor. 16.

AC per uos transire in Macedoniam.] Atqui in priore epistola dixerat, Veniam ad uos ubi Macedoniam transiero: hinc uerò ait, Volui prius uenire ad uos. Quid igitur? secum ipse pugnat? Haudquaquam. Non enim dixit, Scripsi, per uos me abiturum in Macedoniam, sed uolui. Etiam enim non sic scripsi, inquit, studebam tamen & uolebam uenire ad uos priusquam Macedoniã inuiserem: tantum abest ut ex socordia intermiserim quo minus ad uos uenirem, ac non stare promissione, ita ut & præuenire illam ipsam uoluerim.

ET iterum

A ET iterum à Macedonia uenire ad uos, & à uobis deduci in Iudæam. In priore epistola indefinitè dixit, ut uos me deducatis quocunq; iero, ueritus ne si dixisset in Iudæam, & à spiritu aliò coactus fuisset proficisci, mendax esse uideretur. Iam nunc uerò, quia ad eos proficisci nò còtigit, còfidens dicit in posterù, quoniam in Iudæa uolui à uobis deduci. At Deo uisum est ut neq; omnino ad uos uenirè, neq; à uobis in Iudæam deducerer. Audi igitur quæ sequuntur.

CUM ergo hoc uoluissè, nunquid leuitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, nã, nã, & non, non? Hic clarius rationem reddit tarditatis suæ, inquit ens: Cum ad uos uenire decreuissè, cuius causa non ueni? Nõne igitur ceu leuis & inconstans sim, qui aliàs alia sentiat? Nequaquam. Num igitur secundum carnem, id est, humano more delibero, & propria uoluntate gubernor, ut quod constituero apud me, ipsum idem & impleam, siue sit nã, siue sit non? Haud sic isthuc habet. Sed spiritu agor, nec mihi copia est facta, ut quò uelim proficiscar, sed quò ille iniunxerit. Itaque sæpenumero apud me nã, non est nã: propterea quòd non etiam spiritui hoc placeat. Sic haud rarò accidit, ut neq; non apud me sit non, quando quidem id quod ego renuo, spiritus iubet. Obserua autem sapientiam apostoli, quomodo quod calumniatores occasionem conuicij faciebant, quia non uenisset, cum promississet tamen, hoc ipse encomij loco ponit, quòd sui potestatem non habeat, cæterum quòd à spiritu agatur quorsum is uoluerit. Quid uerò illa quæ promittebat, an nò spiritus operatione promittebat? sed ignorabat quid futurum non esset? Ignorabat. Nõ enim omnia norat. Itaque & orabat quæ inutilia erant, ut cum de stimulo à se auferendo oraret. In Actis etiam inuenitur quòd uoluerit aliò abire, sed à spiritu sit prohibitus. Id uerò commodè faciebat Deus, ne homines illis ut dijs essent intenti, id quod Lycaonibus accidit.

Paulus spiritu agitur.

2. Cor. 12.
Act. 16.
Act. 14.

FIDELIS autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud uos, non fuit est & non. Obiectio nem emergentem diluit. Verisimile est enim dicturam quempiam fuisse, Si quæ dicis, nò sunt firma, ac sæpe dicis nã, & inuenitur non: metuumus ne quo modo & sermo tuus & prædicatio talis sit, nempe nã & non, hoc est, inconstans & instabilis. Hanc igitur dissoluens, quòd promissèram, inquit, uenire ad uos, meum erat, unde & à proposito decidi. Prædicatio autem Dei est, & quæ Dei sunt, fallere non possunt: propterea etiam, inquit, fidelis Deus, hoc est, uerus. Proinde quia uerus est, neq; uerbum ipsius erga uos, quod nos prædicauimus, inconstans & instabile erit, ut aliàs quidem sit, est, aliàs uerò non.

BEI enim filius Iesus Christus, qui in uobis est per nos prædicatus, per me & Sylluanum & Timotheum, non fuit nã & non, sed nã in eo fuit. Deinceps dicit qualis sermo non fuerit nã & non. Qui in uobis prædicatus est, non fuit nã & non, hoc est, non hoc quidem nunc prædicabatur, nunc uerò aliud: uerum nã fuit, hoc est, firmiter & inconcusse prædicatus est sermo. Recenset autem & multitudinem eorum qui prædicauerunt, testimonium fide dignum faciens: ac demissam habere mentem docens, cum suos discipulos conductores faciat.

QUOTQVOT enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt nã, & in ipso Amen, Deo ad gloriam per nos. In prædicatione multa sunt quæ promittuntur, resurrectio mortuorum, filiorum adoptio, ac simpliciter spes futuri seculi. Ait ergo quòd non solum uerbi ministerium adeoq; prædicatio similiter habeat, ac firmiter prædicata sit, uerum etiam quæ in ipsa sunt promissiones. Dei enim sunt. Porro quæcunq; promissit Deus, in ipso nã siue etiam, & Amè habet, id est robur & stabilitatem. Non enim in homine quopiam còplentur, sed in ipso Deo. Stabiles itaq; sunt. Quinetiam ad gloriam eius faciunt. Etiam si enim ob nihil aliud prorsus, ob suam tamen ipsius gloriam Deus promissiones suas complebit. quomodo uerò còplebit has? per nos, hoc est, per beneficia quæ in nos ille confert. Nos enim ipsi sumus occasio ut compleat promissã, qui promissã accipimus. Quòd si promissiones Dei firmæ sunt, multo magis ipse & qui de ipso est sermo, erit firmus. Vel id quod ait, per nos, aliter est accipiendum, hoc est, ad gloriam Dei, quæ per nos ipsi est oblata, per nos enim celebrior & gloriosior redditur.

Promissã Dei rata sunt.

QUI autè confirmat nos uobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Suprà dixit quòd Deus impleat promissiones: iam confirmat hoc, Quòd uos, inquit, & ego doctor uester, firmiter stemus in fide erga Christum, ipse dedit, qui & unxit nos & signauit: hoc est, prophetas, sacerdotes, & reges nos fecit. Talis enim est, quisquis baptizatus est, nempe propheta: quippe qui uiderit quæ oculus nò uidit, nec auris audiuit. Sacerdos etiã, ut qui debeat seipsum offerre hostiã uiuentè, sanctã, beneplacentem Deo. Tum rex, ut Dei summi regis & imperatoris filius factus, futuriq; regni hæres, & qui nunc regnet domineturq; in omnes absurdas cogitationes, constitutusq; sit supra uniuersum mundum. Perinde igitur ut apud priscos sacerdotes & reges inungebantur oleo, sic hodieq; nos spiritu inuncti sumus, dante Deo arrhabonè spiritus in cordibus nostris. Quòd si arrhabonè dedit, totum omnino etiã dabit. Arrhabonem autè appellat quæ nunc dantur charismata spiritus. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: tū uerò perfecta erit còmutatio, quando manifestabitur Christus in gloria sua. Ne igitur arbitremini nos esse qui pollice amur, deinceps forsan mendaces inueniendi. Minimè enim gentium nos sumus qui fulcimus uos: uerum Deus est, q & pmittit, & firmat cū me, tū uos. ipsi enim curæ est ut omnia repleat. Subaudire enim te oportet, quòd hæc & illa Deus faciès, ipse etiã còplet proprias pmissiões.

Christiani hominibus dignitas.
1. Cor. 2.
Rom. 12.

Reges oleo inungebantur.

Rom. 8.

EGO autè testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens uobis, nondum uenerim

Theophylact.

Corinthum.]

Corinthum.] Atqui suprà dixit, non ueni propterea quòd non habuerim me ipsius potestaté, sed à spiritu sim prohibitus. Qui igitur nunc ait, ut parcerem uobis, non ueni? Vel hoc ipsum spiritus ipsius erat. Spiritus enim ei suggessit ne ueniret, proponens nimirum & consulens quòd eis parcat. Vel quia spiritus primùm inhibuerit, post uerò & ipse secū reputauerit sic melius esse, ideoq; manserit. Sapientiam híc ipsius animaduerte. Cum enim illi dicerent, Propterea non uenisti, quòd, ut uidetur, oderis nos: ipse diuersum adducit, Eam ob causam non ueni ad uos, quòd uobis parcerem. Hoc autem refert, quia nonnulli apud eos fuerint peccátes, qui tamen in melius animi sui sententiam non permutassent: quos inuasisset, si inuenisset eos non pœnitentes. Expectauit igitur tantisper dum correxerint mores suos, ac tum ueniat, nec puniendi occasionem inueniat.

NON quòd dominemur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij uestri.] Quia uidebatur maioris grauitatis & autoritatis quòd dixerat (illis enim quispiam parcat, in quos puniendi ius habet, ut qui sit dominus eorum) asperitatem iam orationis curat & mitigat: Non dixi, inquit, me uobis parcere, eo quòd sit mihi ius in fidem uestram. Liberæ nãq; uoluntatis fides est, neq; quisquam cogit nolentem credere: uerum enim uerò quia uestra lætitia mea est, nō ueni, ne conijciam uos in mœrorem, ac simul uobiscum mœream. Omnia enim facio pro gaudio uestro, eamq; ob causam aduentum meum distuli, ut ad solas has minas uos ad meliorem statum translatos inueniens, uos mœroris expertes conseruem.

FIDE nanq; statis.] Demissa nunc oratione ipsis loquitur, quandoquidem non parum eos percusserit in priore epistola. Quod autem ait, est huiusmodi: In his quæ ad fidem attinent, statis, non potui igitur quicquam hoc nomine de uobis conqueri. In alijs uerò concussi eratis, & uacillabatis, quæ qui non emendassent, à me fuissent notati: unde & ipsi meritò contristati fuissent, quatioquidem & ipse contristatus essem.

C A P V T I I.

S T A T V I autem hoc apud me ipsum, ne iterum in tristitia uenirem ad uos.] Quia iterū ait, indicat se antehac quoq; mœrore affectum fuisse, nec tamen apertè dixit, Aliàs etiam mœrore affecistis me: sed aliter, Ea de re non ueni ad uos, ne iterum uos contristem. quod eandem quidem sententiam habet. Ideo enim & eos mœrore affecit obiurgationibus, quandoquidem & ipsum contristauerant delictis. Attamen non peræquè ferit.

S I enim ego uos contristo, ecquis est qui me lætificet, nisi qui ex me contristatur? Et si contristem uos, cum uos increpo, & auersor, ex hoc tamen exhilaror, quia uideo me plurimi apud uos fieri, adeò ut mordeat uos, si quando uos auerser uel obiurgè. Nemo enim, inquit, me exhilarat adeò, ut is qui contristatur, quum conspiciat me ira percitum, indicat enim quòd nō contemnatur me. Vnde cum melioris uitæ spem præbeat, exhilarat me.

ET scripsi uobis hoc ipsum.] Quale? quòd parcens uobis non ueni. Vbi autem scripsi? In hac ipsa epistola.

UT ne cum uenero tristitiam habeam propter quos oportebat me gaudere.] Eam, inquit, ob causam scripsi uobis, ut corrigamini in melius, ne impœnitentibus, ac non emendatis assistens, mœrore adficiar propter uos, quos oportebat lætitiæ ansam mihi præbere.

CONFIDENS de omnibus uobis, quòd gaudium meum, omniū uestrum est.] Scripsi, inquit, cōfidēs quòd emédaturi sitis uos, atq; ita me gaudio affecturi. Meum aut gaudiū, omniū uestri est. Ea de causa dixi, ut cōtrister, nō meum, sed uestrū potius cōmodum spectans. Noui enim quòd si conspexeritis me lætantem, lætemini & uos: sin dolentem, & uos doleatis.

NAM ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi uobis per multas lachrymas.] Postquã suprà dixerat, Qui contristatur, exhilarat me: ne dicant, Eò niteris in mœrorem cōijcere nos, ut ipse exhilareris: subdit: Vehementer etiam mihi dolet, plus quàm uobis peccátibus. Nō enim simpliciter ex afflictione, sed ex multa: neq; per lachrymas simpliciter, sed per multas, & ex anxietate cordis scripsi, hoc est, suffocauit cor meum ipsa tristitia, constringens & angustū reddens, ac propterea scripsi. Quemadmodum si quis pater medicus secans aut inurens filiū suum, duplici nomine angitur, & quòd ægrotat filius, & quòd adigatur ipse ad mouere manū & secare: altera autem ratione exhilaratur, spe nimirum sanitatis, recuperandæq; salutis: hūc ad modum & ego uos delinquentes in mœrorem conijciens, ipse mœreo: alia uerò ratione nihil exhilaror, uobis mœrentibus propter spem emendationis uestræ.

NON ut contristemini, sed ut charitatem cognoscatis quam habeo abundantius erga uos.] Cōsequens erat dicere, non ut contristemini, uerum ut emendemini: atqui nō dicit hoc. Edulcat aut sermone, cupiens eos attrahere, indicado quòd eos præ cæteris suis discipulis dilectione maiore cōplectatur: & quòd cōtristet eos, ex dilectione cōtristet, non ex iracúdia. Maximæ enim charitatis symbolū est, me ob delicta uestra mœrore affici, ac festinare ut uos increpè, & uos inde cōtristem. Nisi enim uos diligerem, relinquerem uos in emendatos & incuratos.

S I quispiam contristauit, non me contristauit, sed ex parte, ut non onerem omnes uos.] Vult per hæc horū charitatem in fornicatorem cōfirmari, de quo in priore epistola scripserat. Omnes enim ipsum ceu execrabilem auersati erant, idq; apostoli iussu. Ne igitur rursus cōtraria iussi, nempe ut recipiant ipsum, ei cōdonent, scandalū patiantur Pauli nomine, tanquã incōstantis & mutabilis, prudentissimè argumētatur, eosq; participes facit huius cōdonatiōis.

Quemadmo-

Fides libera est.

*Comparatio
pulchra.*

A Quemadmodum, inquit, communiter nos mœrore affecit, sic & cômunitè exilaremini in condonatione eius. Non enim me solum mœrore affecit, sed omnes uos ex parte: hoc est, parû quiddam contristauit, ut ne dicam quòd omnino uos contristauerit, ut ne ipsum grauè: quandoquidem reuera uos perinde contristatit ac me, attamen ne aggrauem eum qui fornicatus est, ex parte dico uos contristatos fuisse.

SUFFICIT illi qui eiusmodi est obiurgatio hæc quæ fit à pluribus.] Non dixit, ei qui fornicatus est, sed qui talis est, perinde ac in priori quoq; epistola: sed illic ne nominare ipsum quidem uolens, hic uerò parcens ei, nusquam peccati mentionem facit, erudiens nos, ut contritis compatentiores simus.

ITA ut è diuerso, potius uos ei cõdonetis, & cõsolemini.] Nedum, inquit, remoueatis increpationem, cæterum initius etiã cû eo agatis, & cõdonetis, & adhortemini ipsum, hoc est, recretis & curetis ipsum: quæadmodum si quis flagris quempiã cædens, nò solum nò dimittat, uerum etiã plagas & uulnera curare adhortetur. Pulchrè autè dixit, Cõdonate. Ut enim ille nò exstimet sibi remissam noxã, quia satis cõfessus sit, & sufficienter pœnitètia ductus, ostèdit quòd nò tantum ex pœnitentia sua, quantû ex illorum gratia & donatione dimissionem recipiat.

NE quo modo abundantiori tristitia absorbeatur qui huiusmodi est.] Operæ precium est, inquit, ut ipsum denuò assumatis, cõsolemini & curetis, ne absorbeatur uelut à bellua quadã, *Peccatores consolandi.* uel à tempestate & procella tristitiæ, uel ad strangulationem etiam perueniat, ueluti Iudas ex desperatione, uel resiliat, ut puta non ferens ex immoderata obiurgatione dolorè, & ad maiorem malitiam præcipitetur. Animaduerte hic quomodo istum in officio contineat, ne post dimissionem segnior fiat. Non enim suscepi te, quòd perfectè sordes elueris, sed ne quid grauius patiaris ob infirmitatem tuam. Animaduerte porrò quòd non ad naturam peccatorum, cæterum ad affectionem peccantium, increpationes sint moderandæ. *Increpationum modus.*

PROPTER quod obsecro uos ut confirmetis in illum charitatem.] Non iam ueluti doctor ac præceptor imperat, sed ueluti patrocians iudices precatur confirmare, hoc est, facere dilectionem, nec simpliciter aut uulgariter ipsum assumere. Indicat autem eorum etiam uirtutem. Nam qui antea sic amarant hominem, ut ei applauderent, nunc usq; ad eò ipsum auersabatur peccati istius causa, ut & Paulus pro eo intercederet.

IDEO enim scripsi uobis, ut cognoscã experimentum uestrum, num ad omnia obedientes sitis.] Perterrefacit eos, ut metuentes iudicium inobedientiæ, facilè condonent homini. Ea nanq; de causa, inquit, scripsi, ut cognoscerem probationem uestri, hoc est, obedientiæ uirtutè, **B** si quemadmodum audiistis me ut eum increparetis, sic mihi nunc obediatis, ut eum adhortemini cõsoleminiq;. Id enim ualet quod ait, Num ad omnia obedientes sitis. Atqui nò propterea scripsit, sed ob illius salutem: attamen ubi nihil læditur, simul illis amicum sese exhibet.

CVI autè quicquã donatis, & ego.] Mollit per hæc caput exertantè contentionè ipsorum, & instantiã, qua uidebantur non esse cõcessuri homini. Ecce illos enim principes gratiæ, adeoq; primo loco, se uerò comitè ac secundo loco ponit: Cui, inquit, donatis uos, & ego condono.

NAM & ego, si quid donauit, cui donauit, propter uos in persona Christi.] Ut ne existiment se esse dominos dimittendi, & non, ac propterea negligãt hominè absoluerè, indicat eis quòd iam ipse tali donauerit, ut non possint sese porrò ipsi opponere. Ne autem uulneretur ceu contempti, propter uos, inquit, remisit ei. norã enim quòd hoc uobis gratum sit futurum. Deinde ne uideatur propter homines concessisse uel dimisisse ei pœnam, adiecit, in persona Christi, hoc est, secundum Deum, & coram Christo, & tanquam illo hoc iubente, ac ueluti eius uicem gerens, dimisi. Quòd si iam in gloriam Christi cedit dimissio, quomodo nò esset huic ignoscendum, ut glorificetur Christus?

UT ne circumueniamur à satana: non enim ignoramus ipsius cogitationes.] Ne, inquit, fiat cõmune damnû, imminuaturq; gregis Christi numerus. Eleganter autè rem ipsam *ἡλεωσθησάν*, id est, circumuentionem siue usurpationè nominauit. non enim ad se pertinètia satanas accipit, uerû & nostra rapit: ac maximè per methodû nostrã, id est per cogitationè immoderatã, & nimiu seuerã. Propterea & diaboli cogitationes uocauit malitiã eius & imposturã, & quomodo in pietatis specie perdat: nò solû enim per fornicationè supplantat, uerum etiã per immodicû mœrorem. Quomodo igitur non est circumuentio, cum etiam per nostra nos capiat? *Mœror immodicus etiam hominem perdit.*

PORRO cum uenissem Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum.] Suprà cõmemorauit quòd afflictionem habuerit in Asia, monstrauitq; quomodo liberatus sit ab ea: iam nunc rursus docet quòd & aliter afflictus fuerit, quòd non inuenerit Titû. Cum enim non adfuerit qui animum addit, grauior est têtatio. Quare quid me tarditatis accusatis, qui in tot tantasq; calamitates inciderim, & necessitates, quæ non sinunt nos pro nostro arbitratu proficisci? Non simpliciter autem dicit, profectus sum Troadem, uerum ad Euangelium, hoc est, ut prædicarè. Ecqui igitur non prædicasti, maximè cum ianua patefacta fuerit? Prædicauit quidem, sed non multum, postquã non reperi Titum. non habui enim quietè, hoc est, affligèbar, propter ipsius absentiam imbecillior reddebar. Ideo ne igitur intermisisti opus Dei? non propterea, sed quia impedièbatur opus illo absente. Nam ego profus prædicare cupiebam, enimuero Titi absentia impedimento fuit: magna enim cooperabatur præfens.

VERVM illis ualere iussis, profectus sum in Macedoniam.] Hoc est, nō multum temporis illic triui, afflictus nimirum atq; pressus. Ostium enim ingens apertum erat, id est, multū operis restabat, uerūm propter cooperantis absentiam impediēbatur.

DEO autem gratia, qui semper triumphat nos in Christo.] Quia multos commemorauerat mœrores, multaq; tristia quæ in Asia, quæ in Troade pertulerat, quibus etiam præpeditus ad eos non accesserat, ne uideatur ista lugens denumerare, inquit: Gratias ago Deo, qui semper triumphat nos, hoc est, cōspicuos facit & ostendit. Triumphus enim dicitur cū uictoria & trophæis per mediam urbem progressio atq; transitus regis uel imperatoris cuiuspiā. Et nos igitur cum de diabolo trophæis Deus conspicuos reddit. Quæ enim uidentur esse contumeliæ, sunt gloria nostra: tum enim corruit diabolus. In Christo autē eadē fiunt, hoc est, propter Christum, & uerbi prædicationem. Vel quod in Christo triumphamur, hoc est glorificamur. Christum ueluti trophæum gestantes, nos quoq; in ipsius splendore glorificamur.

ET odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.] Unguentum, inquit, preciosum est cognitio Dei, quam nos cunētis hominibus manifestamus: imō potius non ipsum aromam uel unguentum, sed fragrantiam siue odorem ipsius. Etenim præsens cognitio non est admodum perspicua, sed per speculum & in ænigmate. Perinde igitur ut qui fragrantiam olfacit, unguentum alicubi esse positum nouit, cuiusmodi autem sit naturæ aut essentiæ, non item: sic & nos, quod Deus sit, nemo non nouit: quis uerò sit quo ad substantiam, non item. Veluti igitur thuribulum siue suffumigatorium sumus regale, & quocunq; abierimus, odorē spiritualis ungueti circumferimus, cognitionis uidelicet Dei. Cum igitur paulo antē dixisset, quod semper triumphamur, nunc inquit, in omni loco homines bono suffitu adflamus. Omnis enim locus & tempus nostris institutionibus repletus est. Itaq; strenuē oportet ferre: si quidem & nunc usque ad eodē glorificemur priusquam futuris bonis potiamur.

QUA Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt.] Vel hoc dicit, quod nos ipsos hostiā offerimus, morientes propter Christum: uel quod ad Christi iudicium & mactationem ueluti quidam suffitus & nos incendamur. Quod uerò ait, est huiusmodi: Siue seruentur quidam, siue pereant, Euangelium propriam uirtutem retinere perseverat, nosq; perseveramus illud esse quod sumus. Ac quemadmodum lumē etiam si caligine perfundat eos qui debiliore uisus sunt, lumen tamen est: nec quoq; etiam si febricitantibus & ijs qui deprauato sunt gustu amarū fuerit, dulce tamen est: hunc ad modum Euangelium boni odoris est, etsi increduli quidam pereunt. Et nos bona fragrantia sumus: non simpliciter autē, sed Deo. Quando uerò ille iudicauerit isthuc, quis est qui contradicat?

ALIIS quidem odor mortis ad mortem, alijs uerò odor uitæ ad uitā.] Quia dixerat nos bona esse fragrantia pereuntibus, ne arbitreris illos quoq; Deo acceptabiles esse, subintulit hæc: Odorem, inquit, hunc alij quidem recipiunt ut seruentur, alij ut pereant. Perinde ac fues & cantharos unguentum suffocare dicitur, sic & Christus, petra scādali, & in ruinam positus est. Tum ignis aurum illuminat, clariusq; reddit, spinas uerò urit & absunit.

1. Pet. 2.
Christus petra
scādali.

ET ad hæc quis idoneus?] Quia magna dixerat, nimirū, bonus odor sumus, & triūphamur, rursus ad moderatam humiliterq; de se sentientem mentē redit. Ad hæc, inquit, nostra imbecillitas nō esset satis, nisi Dei esset potētia. Illius. n. totū hoc est qd' agim⁹, nihilq; nostrū est.

NON enim sumus ut multi, cauponantes uerbum Dei.] Mendaces & uanos apostolos hic notat, qui Dei gratiā suam esse opus affirmabant. Propterea, inquit, dixi, quis est idoneus? ac Deo totum retuli acceptum, quod non sum sicut pseudapostoli, cauponans & adulterans uerbum Dei. Innuit autem, quod ipsi Euangelij etiam doctrinam deprauent humanæ sapientiæ rationationibus, ac pecunia diuendere conentur, quod gratis impertiendum erat. Verūm nos non sumus huiusmodi. Infert igitur.

SED tanquā ex synceritate, sed tanquā ex Deo, ante conspectū Dei in Christo loquimur.] Hoc est, ex pura minimeq; fallaci mente, ac ueluti ex Deo habētes ea quæ loquimur, & nō ueluti per nos ipsi quicquā transigamus, tū in Christo: nō per nostrā sapientiam, uerūm illius sapientia imbuti & instituti. Ante conspectum autē Dei dixit, ut cordis sui reſtitudinē & libertatem ostendat. Adeo enim cor nostrum purum est, ut & Deo ipsum indicemus.

CAPVT III.

INCIPIMVS iterum nosmetipsos commendare.] Quando quidem de seipso locutus erat ardua, fors quispiam dicere poterat, Quid adeo ô Paule te effers, huiusmodi de teipso proloquens: hanc igitur obiectionem per sequentia diluit.

NVM egemus ut nonnulli commendatitijs literis ad uos, aut ex uobis commendatitijs?] Hoc cum grauitate & acerbitate loquitur, sermonem suum asperiores reddens. Pseudapostolos autē tectè carpit, qui cum proprijs suis operibus nō possent inclarescere, cōmendatitijs fingentes epistolas, ad quoscunq; uellet perferebāt, quibus ita cōmendabantur & innotescebāt. Quod igitur cum acerbitate dicit, est huiusmodi: Num igitur dicat aliquis quod oporteat nos epistolas commendatitias adferre ad uos, ut per ipsas uobis manifestemur, aut rursus ex uobis ad alios. Deinde ex affectu appositè subdit.

Pseudapostoli.

EPISTOLA nostra uos estis scripta in cordibus nostris, quæ cognoscitur & legitur ab omnibus hominibus.] Quod fecissent, inquit, literæ commendantes nos, & honestos uenerabilesq; red-

A lesq; reddentes, hoc ipsum uos facitis, dum alij uos uident, & de uobis audiunt. Nam quocūq; profecti fuerimus, uos circumferimus, cordiq; nostro inscriptos gestamus, omnibus denunciantes uirtutem uestram. Proinde cum uos habeam epistolam me alijs commendantem, nō indigeo aliorum epistolis ad uos, per quas innotescam ignorantibus me. Porro cum uos in mente mea sitis, non opus habeo ut quidam alij me uobis prædicent. Ad ignotos enim commendatijs literis opus est, non ad cognitos. Vos autem ita menti meæ inscripti estis, ut excidere non possitis. Hic autem testimonium dicit non solum eorum dilectioni, uerumetiam uirtute conspicuis operibus, ut qui sufficientes fuerint cunctis mortalibus præceptoris sui dignitate commonstrare. Discipulorum nanq; uirtus, præceptorem ornat.

† MANIFESTATI quod estis epistola Christi.] Quia isthuc ratione? Quod lex Christi & mandata eius, literarum instar apud uos maneant & custodiantur.

MINISTRATA à nobis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis: non tabulis lapides, sed tabulis cordis carnis.] Occasione apprehensa cōparandi legem cū Euangelio, orditur hinc, inquit: Quæadmodum Moses minister fuit legis, sic & nos uestræ in uerbū fidei ministri exitimus. Et perinde ut is tabulas lapideas incidit, sic & nos uestra corda. Lex porro atramento scribatur, Euangelium aut in uobis per spiritum scriptum est. Quanto igitur interuallo spiritus ab atramento distat, & cor à lapide, tanto & nouū Testamentum à lege discrepat. Quod uerò ait in tabulis † cordis carnis, sic lege per hyperbaton: In tabulis carnis. deinde adijce quod per mediū impositū est, hoc est, cordibus. Aut postq; corda sint etiā lapidea, induraturū nimirū, eam ob rē credentiū corda carnea esse dixit, quippe quæ sint capacia uerbi.

FIDUCIAM autē habemus talē per Christū ad Deum, nō quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis ipsis.] Quia cōmonstrauit nouū Testamentū uetere esse maius, consequens autē erat ratiocinari quod & uos deinceps Apostoli noui Testamenti ministri maiores estis Mose, qui ueteri Testamento inseruit. Id autē arrogans esse uidebatur: Nihil, inquit, nostrū, sed fiducia nostra, id est, gloriatio nostra, per Christum est ad Deū. Christus enim est in causa nobis cur in Deo gloriemur, nihilq; planē nostrū est, ne minimū quidē. Hoc enim indicat, cum ait, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ueluti ex nobis ipsis.

SED sufficientia nostra ex Deo est, qui & nos idoneos fecit ministros noui Testamēti.] Potētia, inq; nostra ex Deo est: ipse nāq; idoneos aut sufficientes nos reddidit, hoc est, roborauit, potētiā nobis suā iniecit, idoneos fecit ministros magnæ ac diuinæ illius rei, noui Testamēti.

B NON literæ, sed spiritus.] Lex quidē spiritualis est, hoc est, à spiritu data: nec tamen spiritū suppeditabat, ut nouum. Hoc igitur dicit, nobis non sunt creditæ literæ, sicut Moysi, sed spiritus suppeditatio. Etenim non tantum spiritualia & diuina docebant Apostoli, uerumetiam manum imponentes, spiritum dabant.

LITERA enim occidit, spiritus autem uiuificat.] Lex si acceperit quempiam peccantem, etiam in eo quod minimum uideretur, ueluti si quis in sabbato ligna collegisset, eū tollit è medio. Spiritus autem sanctus eos qui innumera flagitia commiserunt, suscipiens in lauacro baptismatis, iustificat: mortuosq; peccato, uiuificat.

QUOD si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria.] Cum suprā docuisset discrimen noui à uetere Testamento, quod illud quidē atramento, hoc uerò spiritu scribitur: & illud quidē in lapides, hoc uerò in corda scribatur: tū quod illud occidat, hoc uerò uiuificet: nunc ostendere uult, quod & gloria Euāgelij maior sit. Quia uerò lex externam gloriā habuit, quæ ex Moysi renidebat persona & facie, nouum uerò testamentum spirituali siue intellectuāli gloria refulsit, quam nemo corporis oculis uel sensibiliter uidet: à ratiocinatione igitur excellentiam Euangelicæ gloriæ ostendit, inquit: Lex ministra erat mortis. Non dixit autem factrix mortis, ut ne det locū hæreticis, sed adiutrix. Peccatum nāq; mortē faciebat, lex autē pœnam inducit ac statuit. Præterea literæ tantum aut elementa, lex fuit, non auxiliū præstans certantibus, quod fit in baptisinate, sed & supplicia indelebilia subindicans. Lapidibus enim impressum fuit hoc mortis ministerium. Si igitur lex, cum huiusmodi sit, in gloriam celsit, quanto potius gratia quæ incomparabiliter excellit?

ITA ut non possent defigere oculos filij Israelis in faciē Moysi propter gloriam uultus eius quæ aboletur.] Clanculū ludæos accusat. Adeo nāq; rudes, inquit, fuerunt, ut neq; sensibile gloriā intueri possent. Nō dixit autē quod lex & tabulæ habuerint gloriā, sed faciē Moysi. Moses enim celebris erat, nō tabulæ legis. Quinetiā ipsam Moysi gloriā tollit, abolitā illā dicens, hoc est, quiescentē. Vide autē quomodo non dixerit prauā, sed finem accipientem & cessantem.

QUOMODO nō magis ministratio spiritus erit in gloria.] Cū legē dixisset ministeriū mortis, consequēs erat dicere, Euangeliū esse ministeriū uitæ: at quod maius est dixit, nimirū spiritus. Nouū * nāq; testamentū suppeditandi facultatē habet, non uitam modò: at quod maius est, spiritum quoq; ipsum, qui uitam suppeditat. Multo igitur celebrius erit lege.

NAM si ministratio damnationis est gloria, multo magis abundat ministeriū iustitiæ in gloria.] Rursus eandē sententiā circūuertit, adeoq; profert. Interpretās autē quomodo dixerit, Litera occidit, legē ait esse ministeriū condemnationis, † & punitricem peccati, non factricem. Ministerium uerò iustitiæ, Euangelium, quod non solum à pœna & supplicio liberat, uerum iustificat etiam peccatores. Multo igitur magis Euangelium in gloria erit.

Theophylact.

Q 3 ETENIM

Discipuli uirtus præceptorem ornat.

† quæ est uirtus, id est, dum manifestatis, uel dū manifestamini. Est enim uerbū mediū.

Exod. 31. & 34.

Legis & euangeliij differentia.

† Theophylactus nō uapditur, id est, cordis, sed uapditur, id est, cordibus legisse uidetur: ut sit, in tabulis carnis, nepe cordibus, per appositionem.

Rom. 7.

Lex spiritualis.

Num. 15.

Legis seueritas.

Exod. 14.

* Noui testamēti præstātia præ lege.

† Pro nō, uidetur legē dū esse, & ex Chrysost. & ueteri interprete, & ex hoc ipso in glossā tertia præcedēte, ubi dicit, Lex non est factrix mortis, sed pœnam inducit, &c.

ET ENIM neq; glorificatum est quod glorificatum est, in hac parte, propter excellentē gloriā. Quid cōfero, inquit, uetus & nouū testamētū inter sese? Tanta est enim noui excellentia, ut in hac parte, id est in cōparatione, ne gloriā quidē habere putetur quod glorificatum est, uetus nimirū testamētū, propter supereminentē noui gloriā. Nam lex glorificata per seipsam: propter excellentiam tamen gloriæ Euangelij, in gloria uidetur. Animaduerte autē quod & in hoc commodet uetus Testamētum. cōparationes enim fiunt inter cognata.

SI enim quod aboleretur, per gloriam fuit: multo magis quod manet, in gloria erit. Aliā rationem adijcit: Si enim abolenda abrogandaq; lex, per gloriam data est, multo magis in gloria erit stabile ac semper duraturum nouum Testamētum.

HABENTES igitur talem spem, multa fiducia utimur. Quia ingentem quandam gloriam nouo attribuit, qui uerō isthuc audiuerant, desiderabant fortasse externā sensuq; cōprehensibilem gloriam uidere, ut imbecilles intellectu: Spem habemus, inquit, qualē: quod maioribus bonis honorati ac donati simus, quā Moses, quotquot credimus. Hinc multa libertate ac fiducia utimur erga eos quos instituiimus, nihil celantes, nihil etiā prætēmittentes: neq; metum uelstrū cōspicuum, quemadmodū Moses Iudæorum. Non enim estis infirmi æquē atque illi. Moses enim cum secunda uice accepisset tabulas, atq; à monte descenderet, faciem habebat ad eō splendēdam, ut Iudæi neq; accedere eum possent, neq; quicquā cum eo loqui, donec uultum obuelaret. Huius historiæ Paulus hic iam meminit, & ait:

Mosis splendor.
Exod. 34.

ET nō sicut Moses ponebat uelamen super faciē suā, ut non intenderent filij Israel, in finem eius quod aboleretur. Id est, non est opus nos contegi, perinde ac Moses se cōtegebat. Potestis enim aspiciere gloriā hanc quam habemus, gloriā dico Euangelij: quanquā illa longē sit lucidior atq; fulgentior, hoc est, pulchrē potestis intelligere Euāgelij mysteria, nec opus habemus ea uobis occultare ipsa obscuritate tanquā uelamine quopiā. Israelitæ autē rudes nō potuerūt uidere quod finē haberet lex, quodq; abroganda foret. Velum enim pingue nec non crassam eorum mentem significat, ut deinceps discēs. Nōnulli sic intellexerūt, quod illud ipsum, quod nequiuērunt dirigere lumina sua in uultum Mosæ, ostēderet gloriā istā finem habere. Cū enim non uideretur, gloria non erat: atq; hac ratione significabatur eam non diu duraturam, quandoquidem ne gloria quidem appareret.

SED obtusi sunt sensus eorū. Nam in hodiernū usq; diem idem uelamen in lectione ueteris testamēti manet nō reuelatū quod in Christo aboletur. Excæcata est, inquit, mens eorū: ac propterea neq; qui tum ducebant uitam, uidebant: neq; qui hodieq; superant, cernūt: quippe qui excæcati sint, idemq; uelamentum habeant in facie Mosi, hoc est in superficiali lectione legis. Nā Mosē Christus legem nominat, ut in eo loco: Habent Mosē & prophetas. Neq; reuelatur eis, neq; dignoscitur quod Christus esset antiquaturus uetus testamētū. Itaq; mentis eorum error est, siquidem excæcatio mētis est peccatum. Ne igitur mirum sit uobis, inquit, si non possint intueri in gloriā Christi, & credere Iudæi: neq; enim gloriā legis, quæ minor erat, cōspicere poterāt. Si enim legis gloriā uidissent, Christi etiam gloriā uidissent. Gloria enim legis est, ad Christum cōuerti. Vbi autem dixit quod lex per Christum sit abroganda: Illic ubi ait: Prophetā uobis excitabit Dñs Deus, ipsum per omnia audietis. Itaq; cum iuberentur ipsum audire, ipse uerō & sabbata dissolueret, & circumcisionem, aliaq; omnia: lex igitur imperabat propriam sui dissipationem. Insuper per hoc quod præciperet sacra fieri in uno templo, illud ipsum autē rursus auferret, nōne sacrificia omnino auferebat: & tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, & sacrificium & oblationem noluiti. Hæc enim omnia legis sunt solutio, abrogatioq;.

Lucæ 16.

Deut. 18.

Act. 3.

3. Reg. 9.

Psal. 109.

Psal. 39.

SED usq; in hodiernum diem cum legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum. Quia supra dixerat, quod in lectione ueteris legis uelamē sit positum, ne quis existimet quod uelamentum legis obscuritatem dicat, Haudquaquam, inquit, sed cæcitatē & crassitudinem cordis eorum, hanc dico uelamentum: quandoquidem in facie Mosi, non propter ipsum sitū erat, sed propter eorum crassitiem hebetudinemq; uisus.

QUANDO autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur uelamen. Dominus autē spiritus est. Modum hic dicit quo fieri possit ut corrigantur Israelitæ. Quando cōuerteris te ad Dominū, hoc est, quando à lege defeceris, accesserisq; spirituali Euangelio, tunc auferetur uelamentum. Nam quando Moses, ut historia habet, ad Dominum conuertebatur, reuēctus erat. Id uerō futuræ rei indicium erat: quoniam cum conuersus quispiam fuerit ad spiritū (is enim Dominus est) tunc nudam uidebit faciē legislatoris, imò ipse erit in Mosi ordine & loco, excellentiq; fruatur gloria, legis nimirū gloria, ut dictum est. Hanc enim donabit spiritus, ueluti Dominus & omnipotens.

Exod. 34.

Libertas Euāgelica.

VBI autem spiritus Domini, ibi libertas. In lege iugum erat & seruitus: in spiritus autē lege & Euangelio libertas, ut citra obstaculum & liberē uideatur gloria Domini.

NOS uerō omnes reuelata faciē gloriā Domini specularantes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Tanta, inquit, libertate & ingenuitate fruimur, ut oēs nos fideles, nō quemadmodū unus illic Moses, reuēctā faciē (nō enim est apud credentes uelamētū) gloriā enim Dñi specularantes, ad eādē imaginē trāsformemur, hoc est eādē gloriā recipiamus, tāquā speculū simus, splēdorēq; recipientes, rursus resplēdeamus.

Ac quem.

A Ac quemadmodum argentum econtrario solis positum, remittit radios etiam ipsum ex repercussu solis: sic & nos in baptisate per spiritum purgati, illiusque radijs illustrati, iubar quoddam spirituale, quod sola mente comprehenditur, remittimus: ac transformamur ad eandem imaginem, à gloria spiritus ad gloriam nostram: eamque talem, qualem par est habere eum qui à spiritu Domini, qui nulli est subiectus, illustratus est. Nam cum Dominus sit, heriles etiam faces & flammam habet. Siquidem omnes fideles spiritu sancto replentur per baptisam, animaque ipsorum fulget: quandoquidem etiam Moses diuinam gloriam conspiciens, transformatus est & ipse ad hanc, hoc est, adsumpsit & ipse fulgorem, luxitque uultus ipsius, quippe qui figura nostri esset.

*Christianorum
splendor.*

C A P V T III.

IDEO habentes hanc ministracionem, quemadmodum misericordiam sumus consecuti, non deficiamus. Quia multa eaque ardua dixerat, nimirum quod Mose maiores sint apostoli: (nam si omnes fideles sunt maiores, quanto magis illi?) curat nunc, adeoque demittit tumorem istum, Dei est, inquiens, uniuersum. nos enim ministri tantummodo sumus: neque illud etiam ministerium nostrum est, sed (perinde ac ait) misericordiam consecuti sumus. diuinæ enim & isthuc misericordiae est. Hyperbaton autem hoc est. Ideo non deficiamus, hoc est, quia tantis sumus digni donati; bonis, non destituimur, neque deficiamus ad pericula, ad afflictiones, postquam semel misericordiam consecuti, ordinati sumus ministrare.

SED abdicauimus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia. Pseudapostolos suboscure notat & intelligit hic, qui simulabant omnia. Accipientes enim clanculum, uidebantur non accipere. sancti in specie cernebantur, & immundi erant. Nos uero recusauimus talia committere, quæ manifestata dedecore afficiunt, pudoreque suffundunt agentem, nempe quæ cum hypocrisis & furo transiguntur. Infert enim, Non obambulantes in astutia. Proinde in idem recidunt & quæ contumeliam pariunt, & quæ in astutia seu fraude transiguntur. Sin de turpibus facinoribus isthuc intelligas, nihil impedit. nam huiusmodi etiam committunt pseudapostoli.

Pseudapostoli.

NEQUE adulterantes uerbum Dei. Non solum uita, inquit, nostra simplex est & pura, & expers sceleris, uerum etiam doctrina nostra & uerbum, doli sunt uacua. Non enim quicquam externæ sapientiæ admiscemus ipsi, aut quicquam adulamur, aut ex uerbo pecunias colligimus: aut iam quidem hoc, iam uero illud docemus pro temporum & personarum opportunitate, perinde ac pseudapostoli.

B SED in manifestatione ueritatis commendantes nos ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Pseudapostoli commendant seipsum hypocrisis, & per hoc quod alij esse uideantur, cum alij sint: ego uero commendo me ipsum manifestatione ueritatis, hoc est, ipsis operibus pro testimonio ueritatis: ueluti cum me nihil accipere confirmo, testes habeo uos, aliaque id genus eandem ad rationem. Atque sic me prædico & commendo apud omnes homines tam infideles, quam fideles, uitam meam reticens ac denudans: prædicationemque uerbi omnibus patefaciens, ut ipsum discant. Quia uero fieri potest ut homines fallantur, adijcit, Coram Deo, uel ante conspectum Dei, quem pseudapostoli testem habere haud sustinuerint.

QUOD si etiam opertum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt est opertum. Cum supra dixisset Israelitis uelamen appositum esse, fideles autem reiecta & aperta facie uidere: nunc ait, quod si contestum est Euangelium, infidelibus est contestum. Quod enim tum Iudæis obtingebat ex Mose, hoc nunc non credentibus ex Euangelio obuenit. Illorum autem culpa est, non Euangelij. nam si credidissent, etiam ipsi aperte palam conspexissent gloriam Dei.

*Infidelibus Euā
gelium contestum
est.*

IN quibus Deus seculi huius excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi. In pereuntibus, qui multi sunt & uarij, sunt etiam increduli. Horum igitur mentes excæcauit Deus seculi huius. Hic prodeunt Marcionistæ, asseuerantes de mundi opifice hæc esse dicta: quem iustum quidem dicunt, sed non bonum. Manichæi uero per Deum huius seculi, diabolum accipiunt: quem & mundi huius conditorem adserunt. At uero neutrum horum dicendum est, cæterum de Deo nostro hoc dictum est. Ac si seculi huius Deus esse perhibeatur, nihil nouum est, cum & Deus cæli dicatur: nec huius tantum Deus est. Item Deus Abrahami, Isaac & Iacob dicitur: non tamen illorum tantum est Deus, sed prorsus omnium. Quid igitur noui est, si Paulus opportunè etiam nunc ipsum nominauit Deum huius seculi, ut ita magis ostendat incredulis quod etiam ea quæ uidentur, ipse condiderit: ex quibus etiam si uoluptatem ipsi capiant, conditorem tamen ipsum reijciunt. Quin & ad hunc etiam modum hic locus est legendus: Infidelium huius seculi mentes excæcauit. futurum enim seculum infideles non habet. Quid uero est excæcauit? hoc est, permisit eis cæcis esse, quemadmodum & illud, Tradidit eos Deus in affectus ignominiae. Postquam enim resilerunt ab eo, dimisit eos, reliquit eos: non enim cogit ad salutem. Obserua autem quod non dixerit, Excæcauit, ut referatur ad hoc ut infideles maneat, uerum ad hoc, quod prophani oculi non uideant lucem seu splendorem gloriæ Christi. Splendor autem & illuminatio est, credere quod Christus crucifixus sit, quod in cælum receptus sit, & quod futura nobis bona daturus sit. Quemadmodum si quis ophthalmia laborantem excludat, ut solis radios non uideat, ne ijs offendantur: hanc ad rationem & illi increduli facti sunt à seipsis. Porro cum tales facti essent, exclusit Deus radios gloriæ Euangelij, æquè atque Israelitis Mosæ faciè obuelauit.

*Marcionistæ.
Manichæi.*

*Neem. 2.
Exod. 3.*

*Excæcare Dei.
Rom. 1.*

Matth. 7. Sic & nobis in mandatis dedit, ne proiciamus margaritas nostras ad porcos. Bene autem **C**
Suprà 1. & 2. dixit, Fulgeat siue splendeat. Mediocre enim nunc habemus splendorem: non totam illuminationem, quam & antea odorem & arrhabonem dixit: indicans quòd eximius & excelsus in futuro æuo remaneat.

QVI est imago Dei.] Monstrat híc quòd non solam Christi gloriam ignorent, uerum etiã patris. Cum sit imago patris Christus, qui hunc non uidet, neq; illum nouit.

NON enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominũ: nos autẽ seruos uestros, propter Christũ.] *Suprà* dixit quòd nõ ambulemus astutia, deinde adiecit de infidelibus quomodo sint cõtecti. Ait igitur nunc, Propterea fraudulenter nõ agimus, quia nos ipsos haud prædicamus, uanorũ apostolorum instar. Illi nanq; persuadebant discipulis suis ut à se sibi nomina inderent, ut in priore epistola indicauit, alijs dicentibus, Ego quidem sum Apollo, ego uerò Cephæ. Aut ne existimeris qui aduersum nos pugnatis, quòd nobiscum bellum geratis. Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum: aduersus eum nanq; dimicatis qui prædicatur. Nos enim adeò non prædicamus nos ipsos, ut & non detrectemus serui uestri esse propter Christum, hoc est, eo quòd ille sic uos dilexit, & omnia uestri causa egit.

QVONIAM Deus, qui dixit de tenebris lucẽ splendescere, qui illuxit in cordibus nostris, ad illuminationẽ cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi.] Quare dixit, nos ipsos nõ prædicamus? Quia Deus illuxit in cordibus nostris, & perinde ac faciei Moysi quondam, sic nobis

Exod. 34. nunc refulsi. Porro non quemadmodũ in prima creatione dixit, Et facta est lux è tenebris, sic nunc dixit, Et facta est lux: cæterũ ipse nobis effectus lumen. Siquidem is illuxit nobis in facie Christi, hoc est, per Christum. Per Christum enim lucet in nobis pater, datq; illustrationem cognitionis: non substantiæ suæ, sed gloriæ. Animaduerte autem Trinitatis sacrosanctẽ mysterium apud Paulum etiam nunc. De spiritu nanq; dicit, Gloriam Domini speculamur: Dominus enim spiritus est. De filio autem, illuminationem gloriæ Euangelij Christi. De patre autẽ nunc, illuminationem cognitionis gloriæ ipsius.

Trinitatis mysterium.

HABEMVS autem thesaurum istum in uasis fictilibus.] Postquam multa & præclara de ineffabili gloria loquutus esset, ne quis dicat, Et quomodo manemus in mortali corpore, talia, ut dicis, accipientes: hoc ipsum, inquit, Dei etiam uirtutis est, & potentiæ, quod uas testaceum huiusmodi thesauros capit.

VT excellentia potentiæ sit Dei, & non ex nobis.] Vt magnitudo & excellentia, inquit, uirtutis siue potentiæ quæ in nobis apparet, Dei sit, nõ existimemur nos ista agere ex nobis ipsis, uerũ omnes qui uident, Dei dicant hoc totum esse. Notat autem pseudapostolos, quoniam sibi ipsis uniuersum adscribebant. **D**

IN omnibus tribulationẽ patimur, sed nõ angustiamur.] Adeò, inquit, totũ est potẽtiæ Dei, ut & testacei cum simus, tantis tamq; uarijs tentationibus impulsis, nõ frangamur, neq; perdamus thesaurũ qui in nobis est. Affligimur enim in omni cùm loco, tũ tẽpore, inter amicos, inter hostes: sed nõ constringimur, angustiaue cõcludimur, Deo corda nostra dilatante.

APORIAMVR, sed non destituimur.] Hoc est, in summam rerum penuriam & difficultatẽ incidentes, ueruntamen recti consistentes, in desperationem non deuoluimur, neq; uincimur: cæterũ in Deo exitum inuenimus, atq; uincimus.

PERSECUTIONEM patimur, sed non derelinquimur.] Persequuntur quidem nos homines, uerũ Deus nos non deserit. Ad exercitium enim nostrum, non ut succumbamus, hæc permittuntur.

DEHICIMVR quidem, sed non perimus.] Corpore, inquit, & externis rebus deijcitur ab aduersantibus nobis, sed non perimus, quantum ad alacritatem animæq; instantiam attinet, tum quo ad corpus à Deo etiam conseruamur.

SEMPER mortem Domini Iesu in corpore circumferentes, ut & uita Iesu manifestetur in corpore nostro.] Hoc est, quotidianas mortes sustinentes, imitantesq; mortem Domini Iesu semper, hincq; uitam ipsius cõmonstrantes, seu resurrectionẽ in corpore nostro. Si enim quispiam non credat quòd Dominus resurrexerit, uidens nos quotidie mori, & quotidie uiuere, non porro bona ratione incredulus permanebit.

SEMPER enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Christũ, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra.] Per hæc interpretatur quomodo dixerit mortẽ siue mortificationem Iesu, quando quidem nõ perinde apertum erat. Solet autẽ perpetuò obscure dicta declarare, lucidioraq; reddere. Quòd ait, ut uita Iesu manifestetur, iuxta priorem intellectũ sic accipiendum est: quod quemadmodum nos mortem Christi sustinemus nunc, uiuentesq; propter ipsum mori deligimus, sic & ipse uolet mortuos uiuificare tum. quod & alio in loco ait: Si Christo commorimur, simul etiam cum eo uiuemus.

Rom. 6.

ERGO mors in nobis operatur, uita autem in uobis.] Mortem híc tentationes uocat, hoc dicens: Nos quidem in periculis sumus, uos autẽ uita, quæ ex periculis paratur, fruimini. Euangelio nempe uobis prædicato, uitam uiuitis per illud sempiternam.

Psal. 115.

HABENTES autẽ eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, ppter ea & loquimur.] Tentationũ suprà mentionẽ fecit, & mortis, & quòd ex his nos liberet Iesus, adiecit etiam rationem, quoniam propterea liberat, ut resur-

A ut resurrectionis suæ fidem faciat. Subdit itaq; iam nunc quòd fide hoc oporteat certū reddi, non tantum rationibus. Quemadmodum, inquit, David tentationibus immerfus, & à Deo solo ab ijs ereptus, dixit, Credidi, propter quòd locutus sum: sic & nos eundem fidei spiritū habentes, quem & ille habebat, credimus, ac eam ob causam loquimur: quòd perinde ut Iesus resurrexit, sic & nos pericula huius temporis uincemus, & rursus excitabimur. Obserua quòd idem sit spiritus ueteris & noui Testamentorum, propter eos qui legem calūniantur.

Spiritus idē ueteris ac noui Testamenti

SCIENTES, quòd qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit, & cōstituet uobiscū. Omnia enim propter nos, ut gratia abundans pluribus gratias agentibus abundet ad gloriam Dei. Quid credimus, & quid nouimus? Quoniam & nunc ex periculis nos eripiet, ac in posterum excitabit, is qui & Iesum excitauit, sissetq; nos uobiscum, ut perfruamur bonis. Animat autem eos, confidentesq; facit ad fidem & bonam uitam. Notans autem pseudapostolos qui dicebāt, Nos sumus mediatores bonorum, quæ à Deo discipulis proueniunt, propter uos, inquit, sunt omnia, etiam ipsa resurrectio, non propter hunc uel illum. Hoc autem Deus facit, multisq; donat, gratiamq; suam exhibet, ut exuberante gratia, abundet & gratiarum actio, per multas personas adducta ad gloriam Dei. Quare uani apostoli cum gratiam Dei sibi adscribunt, obscurant etiam gloriam ipsius.

PROPTEREA non deficiamus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamē is qui intus est, renouatur de die in diem. Quoniam, inquit, nouimus Dei potentiā atq; uires, & quòd hoc tempore nos è periculis liberet, & quòd postea nos suscitabit splendidos, non deficiamus, neq; desperamus dum patimur. Porro exterior homo, id est corpus, corrumpitur. quomodo dum flagris cæditur, dum agitur. Interior uerò, id est spiritus & anima, renouatur. quānā ratione? cum bene sperat, ac liberè agit, quasi propter Deum patiens & gaudens.

Homo exterior & interior.

ID enim quòd in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur nobis. Interpretatur quomodo innouetur interior homo, dum secum reputat quòd afflictio momentanea sit, id est, temporaria est, & leuis, propter hoc ipsum quòd sit temporaria. Gloria autem æterna est, & pondus habet, hoc est, magnitudinem excellentem. hoc enim est quòd ait, per hyperbolen ad hyperbolen, siue supra modum in sublimitate.

NON contemplantibus nobis quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur, temporaria sunt: quæ uerò non uidentur, æterna. Ecqui facilis res est afflictio? Quia omnia, inquit, quæ uidentur, temporaria sunt, itaq; & afflictio, imò & ipsa requies: nam & ipsa uisui subiacet. Ob eam enim causam dixit, quæ uidentur, ut & hanc comprehenderet. Neq; igitur afflictioni succumbemus, neq; ocio & quiete distinemus, uel laxabimur. utrunq; enim temporariū est. Cum itaq; hæc se ita habeant, ut quæ non uidentur, sint æterna, id est & regnum & pœna: illud ergo desiderate, hanc uerò declinate.

CAPVT V.

SCIMVS enim quòd si terrestris nostra domus huius tabernaculi dissoluatur, & edificationē ex Deo habemus, domū non manufactā, æternā in cœlis. Quia dixerat supra, quāto exterior homo corrūpitur, tanto innouatur interior, ac aliquid ita noui uideretur adferre: Imò, inquit, quando perfectè corruptū fuerit mortale corpus & terrestre, tum innumera nobis bona germinabunt. Simul autem & de resurrectione ipsis rursus disserit, etiamsi non adeò perspicue ut in priore, ut ne uideatur inemendabiles eos iudicare. Terrestrem autem domū tabernaculi ipsum corpus nominauit. Porro dum tabernaculum uocat, temporariam corruptibilēq; eius naturam significat. scena enim siue tabernaculum tale quiddam est. Etiamsi autem sæpe numero scenæ, id est tabernacula uocentur iustorum quies, uerū isthuc cum appendice dicitur, nempe tabernacula æterna. Animaduerte aut quomodo terrestri opposuerit cœleste: & tabernaculo, æternū opponens. Exaggerans autē encomium futuræ gloriæ corporis nostri, & non manufactam apposuit, non ut opponeret corpori huic, non enim est manufactū. Nonnulli per domū manufactam, uitā quam in terris degimus, acceperunt: tabernaculum aut, corpus ipsum: ut sit quòd dicitur, huiusmodi: Si dissoluta fuerit quæ in terra est uita corporis nostri, quæ & manufacta dici possit, tanquā à manibus consistat (panis enim & uinū sunt huiusmodi, ex quibus uita nostra ueluti per manus conficitur) habebimus aliam uitā in cœlis incorruptibilem & non manufactam, hoc est, non indigentem nostrarum manuum operatione.

Supra 4.

Lucæ 16.

NAM in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est superindui cupiētes. Qualem habitationē corpus incorruptibile. Ex cœlo autē ipsum dicit, non quòd descendat à supernis, cæterum quòd inde possideat & retineat emissam incorruptibilitatis gratiam. Adeò igitur non est opus ut quisquam turbetur ob tentationes corporis quadam ex parte cōtingentes, ut è diuerso potius ingemiscere debeamus, quòd non uniuersim corruptibile corpus exuamus, ut incorruptibile hoc superinduamus. Propterea non tabernaculum ipsum nominauit, sed habitationem, ueluti permanentiorem.

Corporis incorruptio è cœlo.

SI tamen uestiti, non nudi inueniamur. Ut ne confidant omnes incorruptibilitati corporis, si modò, inquit, induti in corruptione, & corpus incorruptibile accipientes, nō nudi inueniamur à gloria & securitate, tanquam peccati deformitatem habentes. Resurrectio nanq; communis est, honos non est communis omnibus.

NAM

NAM & qui sumus in tabernaculo hoc, ingemiscimus, quatenus nolumus expoliari, sed su-
peruectiri, ut absorbeatur quod mortale est à uita.] Quia molestū uidebatur quod dixit, Inge-
miscimus desiderantes liberari à corpore, etenim ineffabilis est animæ ad corpus affectio. Nō
propterea, inquit, ingemiscimus, ut simpliciter à corpore liberemur, uerū quia superindue-
re incorruptibilitatē expetimus. Proinde corpus hoc neq; exuere uolumus, uerū à corruptio-
ne liberari, ut impēdatur insumaturq; corruptio à uita, nō corpus. Nec enim simpliciter, ppter
corpus grauamur, sed quia est corruptibile. Hinc autem omnino hæreticorū obstruuntur ora.
Non enim de alio atq; alio corpore sermo est, sed de corruptione & incorruptibilitate.

Sapient. 2. QVI autem effecit nos ad illud, Deus est.] Deus est, inquit, qui primū nos ad hoc effecit.
Etenim condidit nos, ut simus incorruptibiles. Neq; hoc nunc primū ei placuit, sed iam in-
de à principio. Itaque omnino fiet.

*Spiritus, futuræ
immortalitatis
pignus.* QVI dedit etiam nobis pignus spiritus.] Vis, inquit, & aliam tibi dem demonstrationem?
Qui nobis per baptisma spiritum dedit, pignus quoq; immortalitatis nobis impertijt. Etenim
sanctificauit animā & corpus, & utraq; diuiniora reddidit, à peccato nos liberās, ex quo mors
propagata erat. Quocirca cum spiritū nobis dederit, perspicuū est quōd à peccato nos libera-
rit. A peccato uerō postquam nos liberauit, corruptionē etiam destruxit. ex peccato enim cor-
ruptio. Proinde futuræ hoc pacto immortalitatis pignus est spiritus. Et aliter, Qui dedit nobis
spiritum ex parte, pignus quoddam dedit se totum quoq; traditurum. Quomodo autē dabit,
nisi corpore & animo incorruptibiles futuri simus? Vbi igitur pusillum huic acceperis, arrha-
bonem uidelicet, confide quōd & totum tunc prorsus sis habiturus.

*Corpus an alie
nos à Deo nos
faciat.* AVDENTES igitur semper, & scientes quōd dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à
Domino, (per fidem enim ambulamus, non per speciem) audemus autem, & bonam uolūta-
tem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominū.] Confirmare per-
git quod suprā dixit. Non sunt mihi curæ, inquit, pericula. Siquidem pericula & mortes optabi-
lein nobis rem conciliant, incorruptibilitatem ipsam, propter quam & ingemiscimus: & ea ce-
lerius nos ad Dominū perducunt nostrum. Confidentes igitur semper, id est, non metuentes
neq; insidias, neq; persecutiones, neque mortes. Expende autem sapientiam, quomodo occul-
tarit nomina mortis & uitæ, alteram quidem præsentiā apud Dominum, alteram uerō pere-
grinationem à Domino faciēs, ut nemo præsente uita teneatur, eiq; sese addicat: ut quæ à Do-
mino abducatur. Deinde ut ne quis dicat, Quid igitur? corpus nos alienos facit à Deo? correxit
hoc, inquit, Per fidem enim ambulamus, non per speciem, hoc est, in terris hīc agentes, ipsum
quidem nouimus, sed modicē (hoc enim est per fidem) non quidem facie ad faciem, quod est
per speciem. Cum autem hæc sic habeant, bonam uoluntatem habemus, siue probamus mul-
tum, hoc est, ualde desideramus exuere corpus hoc, atque esse cum Domino. Non dixit autē,
desideramus immortalitatem adsequi, uerū, quod præstantius est, cū Domino esse: id enim
plus est quā immortalitas.

IDEO contendimus, siue absentes siue præsentes placere illi.] Quod quæritur, hoc est, ut
ipsi in uita tua placeas. Ne enim audiens peregrinationē à corpore, existimes hīc tibi salutem
fatis esse: Stude, inquit, probatus migrare hinc, per uitam nimirum qua Deo hīc placuisti.

OMNES enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.] Terrorē incutit hīc men-
tione facta & suggestionē terribilis tribunalis, & per hoc quod ait, manifestari oportet. Non e-
nim cogites quōd illic parietes & uelamenta, cordisq; profunditas occultet uel opera uel con-
filiā, siue cogitationes, sed omnia manifestantur.

VT reportet unusquisq; ea quæ fiunt per corpus iuxta ea quæ fecit, siue bonum, siue malū.]
Per ista eos qui bene & rectē uixerint, sperare melius facit: segniores autē terrore alacrius red-
dit. Confirmat autem rursus de resurrectione corporum sermonem. Quod enim uel bonis uel
pauis operibus inseruijt atque obsequutum est, illud omnino uel coronatur uel punitur. Ob-
struuntur ergo uel hinc hæreticorum ora.

*Scandalum nun-
quam præben-
dum.* SCIENTES igitur timorem Dei, hominibus suademus, Deo autē manifestati sumus. spe-
ro autem & conscientijs uestris manifestos nos esse.] Scientes, inquit, iudicium illud terrifi-
cum, omnia agimus ne scandalum ponamus mortalibus. Hoc enim est quod ait, Hominibus
suademus, hoc est, offendiculis medemur. Etsi enim mali quiddam non operemur, & interim
suspicioni ansam præbeamus, nec remoueamus scandala, cū possimus tamen, condemnatur.
Deo autem perspecti sumus, qui optimē etiam nouit qualem uitæ rationem habeamus: neq;
opus est ut ipsi suadeamus & uitæ rationem declaremus, tanquam qui uidelicet scandalizaretur.
Vobis item manifestati sumus, quippe qui omnia nostra probē teneatis. Vos igitur haud-
quaquam docere opus habemus, ceu in nobis scandalum passos.

Pseudapostoli. NON enim rursus nos ipsos commendamus uobis, sed occasionem damus uobis gloriā-
di de nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.] Continuo deterit su-
spicionem quæ in eo uidebatur gloriādi. Ad hunc, inquit, sermonem peruenimus, non ut
nos ipsos commendemus, hoc est, attollamus, uel præconijs euehamus, cæterum ut uobis
occasionem daremus qua gloriaremini de nobis, atque decoros uos redderetis, aduersum
pseudapostolos, qui in facie iactabant sese, hoc est in his quæ ad ostentationem faciebant, &
quæ ex facie iudicabantur. Huiusmodi enim erant, pietatis speciem præ se in uultu in externis
gerentes,

A gerentes, in corde uerò nihil planè boni ferentes. Non semper autem gloriari iubet, cæterum quum illi sese extulerint.

SIVE enim mente excessimus, Deo: siue sobrij sumus, uobis.] Siue arduum quiddam loquimur (extasin enim siue mentis excessum id uocat, perinde ac alio in loco insipientiã) Dei, inquit, isthuc causa facimus, ne uos existimantes nos esse uiles, aspernemini & pereatis. Siue moderatum quiddam & humile dicamus, propter uos, uti discatis humilia sapere. Vel hunc ad modum quispiam intellexerit: Si quis nos furere suspicetur, à Deo mercedem recipimus, eo quòd huiusmodi suspitioni simus obnoxij, sin sobrios nos esse putet, ipse pariter commoditate ex temperanti sobriaq; mente nostra proueniente perfruatur. Vel aliam ad rationem: Si insanimus, Dei causa ita insanimus, ut uos ad ipsum perducamus. Insaniebat itaque Paulus, amatoria quadam insanìa Deum amans, ac amatoris instar illi uiuens, nempe ad amato, extra se ipsum raptus, ac totus in Deum tralatus, nec suam ipsius uitam uiuens, sed eius quem amat, amatoriam planè, siue dilectam & ualde charã. Si igitur excessimus, uel extra nos rapti sumus, Deo omnino excessimus, id est, Dei causa.

CHARITAS enim Dei urget nos, æstimantes hoc, quòd unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & reuixit.] Dilectio Dei quam exhibuit erga nos, urget nos & compellit ut eius amore pericula subeamus, hoc probè apud nos iudicantes, quòd quia mortuus est pro omnibus, perspicuum est quòd omnes perieramus, eamq; ob causam mortuus est pro ijs qui perierant, obierantq; mortem, ut nos uiuificaret. Postquam igitur nos uiuificauit, non debemus porrò nobis ipsis uiuere, sed illi propter quem uiuimus: qui nedum mortuus est pro nobis, uerumetiam resurrexit, primitias nimirum nostras, hoc est, corpus suum in cælos referens, ut omnino nos etiam eò reportet ac perducatur. Quid enim prorsus opus erat illud abire, atq; adeò ipsum ascendere in cælos, nisi nos similia olim consecuturi essemus? Proinde quia mortuus est pro nobis, & quia uiuificauit nos, & quia arrhabones incorruptibilitatis dedit, ipsi in posterum debemus uiuere, haud nostris cupiditatibus.

ITAQUE nos ex hoc neminè nouimus secundum carnem.] Quia omnes occisi à peccato, reuiximus, & uiuificati sumus à Christo, per baptisma, meritò neminem nouimus fidelium, inquit, secundum carnem uiuentem, hoc est, iuxta ueterem & carnalem uitam. Omnes enim spiritu regenerati, nouam & spiritualem uitam auspicantur ducuntq;.

ETSI cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc non nouimus.] Indicat quòd Christum ducem & principem habemus huius ipsius, nempe ut secundum carnem non uiuamus. Etsi, inquit, Christus olim secundum carnem erat, nunc tamen nò porrò est. Quid igitur? carnemne deposuit? Minimè. nam quemadmodum assumptus est, sic etiam ueniet. Assumptus est autem in carne, & cum corpore. Quid igitur dicit? quòd nos tunc quidem secundum carnem uiuere dicimur, quando in peccatis fuerimus: tumq; non secundum carnem uiuere, quando peccatis nos non coinquinamus. Christus autem secundum carnem uixisse dicitur, quando secundum naturales, inculpato tamen motu & affectiones uixit, esuriens, sitiens, dormiens, laborans. Nunc autem non est secundum carnem, hoc est, ab his naturalibus & inculpatis affectionibus liberatus est, impassibile & immortale corpus habes, ut omnino & nos abundè doceat, ne porrò uiuamus secundum carnem & peccabiliter, sed secundum spiritum.

ITAQUE si quis in Christo, noua creatura.] Si quis credidit Christo, in aliam planè creaturam peruenit, & noua creatura facta est. Non debemus igitur secundam ueterem morem uiuere.

VETERA transferunt, ecce noua facta sunt omnia.] Qualiãnam uetera? peccatum, & Iudaicæ ceremoniæ. Nam uetus peccatū præterijt, nouaq; nobis anima, & nouum corpus factum est, & pro Iudaicis omnibus noua nobis facta sunt omnia, pro lege Euangelium, pro Hierosolymis cælum, pro templo interior cortina, in qua sacrosancta trinitas: pro circuncisione baptisma, pro manna corpus Dei, pro aqua sanguis Domini, pro uirga Moïsæ uel Aaronis crux, pro agno filius Dei, omniaq; alia eandem ad rationem.

OMNIA autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi ipsi per Iesum Christum.] Hæc omnia nobis data sunt ex Deo, qui reconciliauit nos sibi ipsi per intercessionem filij sui. Non enim nos ipsi accurrimus, sed ipse nos uocauit per mortem filij sui.

ET dedit nobis ministerium reconciliationis.] O profunditatè clementiæ diuinæ. Cum enim misisset intercessorem & legatum filium suum, eumque occisum conspicatus esset ab ijs qui reconciliatione indigerent, neque sic tamen neglexit homines: uerum ministerium reconciliationis, inquit, nobis apostolis suis dedit, ut circumeuntes, legatione fungamur ad eos qui defecerunt à Deo, eosq; ad eum perducamus.

QUONIAM quidè Deus erat in Christo mundū reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum.] Quod nos sibi ipse reconciliauerit, supra dixit. Ne igitur quis dicat, filium tamè suū misit: nunc ait quòd filium quidem miserit, ueruntamen non solus filius exhortabatur, uerumetiam pater, reconcilians sibi ipsi mundū in Christo, hoc est, per Christū, ac tantā mortalibus bonitatè demonstrans, ut nò solum non punierit, uerumetiam reconciliatus sit: nec tantū dimiserit, sed ne imputauerit quidem peccata. Si enim rationè exigere uoluisset, omnino periissent.

ET posuit in nobis uerbū reconciliationis.] Nihil igitur molestū aut onerosum uobis imponere

1. Corint. 3.

Insania Pauli sancta.

Primitia nobis pro Christo.

Act. 17.

Esaiæ 45.

Apoc. 21.

Mira mutatio ueteris legis.

1. Ioan. 4.

Pater pro nobis aduocat.

ponere cōstituti sumus à Deo: sed hoc nobis iniunctū est, ut recōciliemus quidē uos ipsi. Quia enim mihi, inquit, nō crediderunt, perseuerate uos adhortantes, tantisper dum persuaseritis.

PRO Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus etiam pro Christo, reconciliamini Deo.] Pro Christo, id est, Christi loco intercedimus, seu legatione fungimur: quod ille facturus erat, nos suscepimus nunc: & quemadmodum per illum adhortabatur uos pater, sic & nunc per nos adhortatur, ut ipsi recōciliemini. Non dixit autē, reconciliate uobis ipsis Deū, sed uos recōciliemini ei. uos enim hostes eius estis, ipse nunquam uester, siquidē Deus & pater est. Quasi uerò Deus aduersum eos deliquerit, sic per legatos intercedit, ut cōcedant Deo. Miram pietatis & indulgentiæ siue humiliationis magnitudinem.

EVM enim qui peccatū nō nouerat, pro nobis peccatū fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.] Ne alia, inquit, omnia cōmemorem, quod benefactorē uestrum ignominia adfecistis, quod uindictā is non exegerit, quod primus potius reconciliari uoluerit, uel propter id quod nunc fecit, nōne dignū est reconciliari uos ipsi? Quid nam istud? quod filium suum qui peccatū non norat, hoc est, qui ipse iustitia erat, pro nobis morti subiecit, mori q̄: fecit ceu peccato rem ac sceleratū. Maledictus enim qui pendet ex ligno. & Cum iniquis reputatus est. Nec dixit quod peccatorē fecerit, cæterum peccatum, quod maius est. Cur isthuc factum? ut nos iustificemur, non ex operibus & lege, uerum ex gratia Dei. Hæc enim est Dei iustitia, cum quis gratia iustificatus fuerit, ut nullus in eo n̄uus nullæue macula inueniatur. Propterea enim neque dixit, Ut efficiamur iusti: sed, Iustitia Dei: excellentiam gratiæ ostendens.

C A P V T V I.

COOPERANTES autē etiam exhortamur, ne in uacū gratiam Dei recipiatis.] Cooperamur, inquit, nos & uobis, ut seruemini: & Deo, ut uoluntatē eius impleamus, hoc est ut uos saluos reddamus: & adhortamur Christi loco ad secundū usq; aduentū eius, ac tantisper dum uiixerimus, ut ne in uanū suscipiatis gratiam Dei. Quid enim prodest à peccatis liberari diuina gratia, deinde rursus ijs per propriam socordiam impleri? Rursus enim noua inimicitia nascitur, sitq; hac ratione, ut gratia erga nos deinceps Dei uana fuerit. Ne igitur existimetis quod fides tantummodo sit reconciliatio, uerum uita etiam est necessaria.

AIT enim: Tempore accepto exaudiui te, & in diebus salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.] Qualenam tēpus acceptabile: gratiæ, in quo est remissio peccatorū, iustitiæq; ministratio. Illud est acceptabile tempus, in quo nos Deus recipit, exauditq; nos & seruat. Iudicij enim tēpore, neq; exaudit, neq; adiuuabit, neq; seruabit. In hoc igitur gratiæ tempore certare debemus, facile nanq; asequemur brabea.

NVLLAM ulla in re dantes offensionē, ut non uicuperetur ministeriū nostrum.] Adhortamur, inquit, & adiuuamus, quomodo: citra offensionē uiuentes. Per narrationis ordinē consulit ut & ipsi ad eum desigant oculos. Sic enim, inquit, instituo uitā meam, ut nedum nō accusationi, uerum ne querimoniam quidem exiguam, aut scandalo cuiquam locū dem, ut ne culpetur ministeriū nostrū. Rursum non dixit, ut non accusetur, uerum ut ne minimā quidem reprehensionē accipiat opus meum & ministerium meū. Nonnulli uerò sic interpretati sunt, ne accusatio quædam apprehendat prædicationē. hoc enim ministerium suū appellat. Me enim malē uiuente prædicatio cōculcabitur, calumniæq; obnoxia erit. Clanculum autem subindicat, quod si uos & malē uiuatis, ad Christum & fidem blasphemia redundabit ac recurret.

SBD in omnibus exhibentes nos ipsos, tanquam Dei ministri.] Hoc maius est, non solum se ipsum ab accusationibus & reprehensionibus purum facere, uerumetiam huiusmodi uitam commonstrare, ut per ipsam uideatur esse minister Dei. Non dixit autem apparētes, sed exhibentes, hoc demonstrantes.

IN patientia multa.] Modum dicit quo talis fuerit, per patientiam uidelicet: nec simpliciter, sed per multam, inquit. Non enim satis est, unum aliquid & alterum sufferre, cæterum opus est ad finem usque sustinere.

IN tribulationibus, in necessitatibus.] Hæc est tribulationis intētio & exaggeratio, quando inextricabilia mala fuerint, quæ hominem suffocent.

IN angustijs.] Quæ sunt à fame, & simpliciter à tentationibus.

IN plagis & carceribus.] Quod si plagæ & carceres hic adsint, uide quantum sit mali, cum alterum horum per se sit grauissimum.

IN + seditionibus.] Hoc est in persecutionibus, quando non habuerit aliquis ubi pedem figat, ubi consistat, de loco in locum actus & compulsus.

IN laboribus, in uigilijs, in ieiunijs.] Cum dixisset de externis, quæ sua sunt iam hic apponit, quibus suapte sponte sese affligebat, laboribus uidelicet manuum, per quos & seipsum & alios alebat, cumq; his omnibus & uigilauit, & ieiunauit.

IN puritate.] Temperantiam sic appellat, uel puritatē in omnibus rebus, tum quod munerum corruptelam non admiserit, tum quod citra sumptum aliorum prædicauerit uerbum.

IN scientia.] Hoc est, in Dei sapientia, quæ est reuera scientia non externa, qua pseudapostoli se ostentabant.

IN longanimitate, in benignitate.] Adamantini planē animi est, si quis cum undiq; exacerbetur & pungatur, non solum longanimis, uerumetiam mitis sit & benignus.

IN spiri-

A IN spiritu sancto.] Vnde nam hæc peregerit, indicat: in spiritu, inquit, sancto. Quia autem quæ à se erant, demonstrauit, spiritus sancti auxilium posuit. Intelligitur etiam in spiritu sancto, pro donis spiritualibus. per hæc enim documentum quoque damus, quod Dei simus ministri, ut qui miracula exhibeamus. Vel in spiritu sancto nullam dedimus offensionem, hoc est in donis spiritus. Multi namque attolluntur, ut qui linguas habent, nec utuntur tamen eo dono ut decet. Diuus uero Paulus aliter est usus eo dono atque isti.

IN charitate non ficta.] Hæc res omnium bonorum causa est: hæc & spiritum apud eum permanere faciebat.

IN uerbo ueritatis.] Hoc est, non deprauantes uerbum Dei.

IN uirtute Dei.] Nihil, inquit, meam est, sed hæc omnia in uirtute & potestate Dei facta sunt, uel in signis etiam atque prodigijs: & uirtute, qua Deus & punit, & beneficia nobis impertit.

PER arma iustitiæ dextra & sinistra.] Arma iustitiæ sinistra, tristia cuncta nominat: arma quidem tanquam munientia, ac in tuto nos collocantia: sinistra uero, propter multorum opinionem. Siquidem & Dominus nos orare iussit, ne ingrediamur in tentationem. Dextra uero iucundiora. In utrisque ergo Paulus irreprehensibilis monstrabatur ut qui neque tristibus deijceretur animo, neque lætis efferretur, sed arma iustitiæ hæc reuera faciens.

Iustitiæ arma
sinistra & dex-
tra.
Matt. 26.

PER gloriam & ignominiam.] Interpretatus est nobis dextra & sinistra, quod sint gloria & ignominia. Quomodo uero arma iustitiæ sunt gloria? quoniam multos inducit ad pietatē, honor qui defertur doctoribus. Quid igitur? hæc ne Pauli uirtus? hocine decorum? profectō: quia non inflabatur, non intumescibat, si celebraretur afficereturue gloria. Ignominia autem patientiam efficiens, ipsum probatum efficiebat, prædicationemque eius felicem reddebat.

PER infamiam & bonam famam.] Hoc etiam arduum est, infamiam sustinere: ualde namque animum commouet. Propterea Dominus etiam beatos prædicat, qui opprobria ferant patienter. In tormentis enim corpus cum anima partitur dolores, in contumelia uero siue infamia, totum onus animæ imminet: unde & diuo Iob isthuc cæteris plagis grauius erat.

Matt. 5.

TANQVAM seductores & ueraces.] Hoc est quod dixit, Per ignominiam & bonam famam.

Iob 2.

VELUT ignorati & agniti.] Alijs namque adamati & cogniti erant, alij uero nō nouisse quidem eos uolebant. Hoc autem idem est cum eo quod dixit, Per gloriam & ignominiam.

TANQVAM morientes, & ecce uiuimus.] Hoc est, tanquam morti addicti & condemnati, ac quatenus ad mētē insidias statuentiū pertinet, morietes, per Dei autē potestā ecce uiuimus.

TANQVAM castigati, & nō occisi.] Permittit, inquit, hæc Deus, ut erudiat nos & castiget.

B Proinde non exiguum lucrū est castigatio, ante etiā præmia quæ inde proueniūt. A' Dauide autē hoc desumptū est. Castigas enim, inquit ille, castigauit me Dominus, & morti nō tradidit me.

Castigationis uoluntas.
Psal. 117.

TANQVAM dolentes, semper autem gaudentes.] Apud incredulos quidem uidemur mortui esse, cæterum uoluptas nobis est florida & uiuax. Non enim aliās quidem lætamur, aliās terrorem moreremur, sed nunquam non gaudemus.

TANQVAM egentes, multos autē locupletantes.] Opibus spiritualibus multos locupletes reddebat, imò etiam sensibilibus & externis diuitijs. Etenim omnium ædes sibi apertas habens, opulentissimus erat, quippe qui alijs impertiri posset, eosque alere, perinde ac sanctos in Hierusalem. Indicat autem hoc & per sequentia.

TANQVAM nihil habentes, & omnia possidentes.] Qui enim nulli rerū temporalium ad uitium & amictū pertinentium adfixus est, quæ omnium sunt habet. Si fieri posset, inquit, oculos uestros effossos mihi dedissetis. quomodo igitur huiusmodi pecunijs pepercissent erga Paulum? Hæc autem omnia illis recensuit, ne turbentur super quapiam re, quæ tristis esse uideatur.

Galat. 4.

OS nostrum patet ad uos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est.] Commemoratis certaminibus proprijs atque laboribus, monstratoque per narrationis modum, quomodo eos se imitari oporteat, in posterum eos notaturus est, quasi non magna perinde dilectione eum prosequantur. Antea uero quam hoc faciat, propriam suam eis charitatem ostendit. Semper, inquit, uolo uobis loqui & disserere, ac liberè, cumque fiducia uerba facere. Hoc enim indicat per hoc quod ait, Os nostrum patet siue apertum est. Sic autem dicit, quia eos obiurgaturus est, indicans eam esse maximè dilectionem, ipsam uidelicet loquendi libertatem. Non solum autem ore ostendo dilectionem meam, uerum etiam corde, amplum illud & latum erga uos habens. Feruor enim dilectionis os etiam meum aperit, & cor meum dilatauit, amplumque reddidit, ut omnes uos capiat. Vnde etiam infert.

Obiurgandi fiducia charitatis indicium.

ET non angustiamini in nobis: angustiamini autē in uisceribus uestris.] Vos, inquit, in meo corde lato citra angustiam locum habetis, idque cum tot sitis. In uestris autē uisceribus angustiam multam habetis, nec potestis late capere me, cum tamen unicus sim: hoc est, ego quidem ualde uos diligo, uos uero diligitis quidem me, & habetis me in uisceribus, sed angusto loco & modo, non amplo.

BANDEM autē retributionē, tanquam filijs dico, dilatamini & uos.] Eandem, inquit, compensationē amicitie & æqualitatē uos adferre, ac latos uos quoque reddite, nec non explicare uos perinde ac ego. Indicat autem hoc esse debitum: Ut filijs enim, inquit, dico. Nihil magis postulo, si quidem pater cum sim, à filijs amari cupio. interest enim puerorum hoc.

NB ad alteram lancem acclinimini cum infidelibus.] Ne propter seipsum uideatur hæc dicere, innuit se propter eorum commodum indigere amicitia uel amore illorum, perinde quasi

Theophylact.

R dicat:

dicat: Hoc est diligere me, si non cōmiscetis uos infidelibus, nec acclinetis uos ad partem eorum. Nō dixit autē, nō commisceamini, sed ne ad alterā lancem inclinemini, hoc est, iniuria afficiatis iustum, cum acclinamini & apponimini istis quibus non fas est uos acclinari. Verbū. n. *ir. p. 107. v. 10.* alteri lāci incūbere, de iniusta libra dicitur, quādo nimirū altera lāx grauior extiterit.

Q V A E enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Hic nō suiipsius & infidelium comparationem facit, ceterū Corinthiorū uirtutis & ingenuitatis, illorūq; prauitatis, quemadmodum si pater uideat filium cum hominibus deprauatis conuersantem, ad eum dicat, Quæ est communicatio tuæ generositati cum illorū pollutione? Vos igitur re ipsa, inquit, iustitia estis, illi uerò iniquitas. quid igitur uobis cum illis commune est?

Q V A E autē societas luci ad tenebras? Quæ est cōuētio Christo ad Belijaal? Omnib. modis uolēs ut ipsi deficiāt ab infidelibus, nō dixit, quæ est societas illustratis lumine cū tenebricosis? uel Christianis cū Belialitis? uerū res ipsas p. p. sonis posuit, lumē & tenebras, qd' plus est, Christū & Belijaal, qd' significat desertorē uel defectorē. Hinc autē omīno terribiliōrē orationē fecit.

A V T quæ est pars fideli cum infideli? Hic personarum meminit, ut ne uideatur uitia simpliciter accusare, uel uirtutem commendare.

Q V I S autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templū Dei uiuentis. Qui Christo non dederunt nomen, increduli, templum idolorum sunt, uel ipsa etiam idola. Vos autem templum Dei estis, non talis Dei, quales ipsi fingunt, sed uiuentis. Quis igitur consensus, id est similitudo uel conuentio uobis ad hos?

Leuit. 26. S I C V T dixit Deus: Quoniā inhabitabo in ipsis, & inambulabo, eroq; ipsoꝝ Deus, & ipsi erūt mihi populus. Ut ne uideatur adulari, ex scriptura confirmat quomodo sint templū Dei. Quōd igitur Deus in nobis habitet, prioris uitæ puritas sanē præbet: quōd uerō ambulet, conatus posthac & diligentia facit. Cum enim homo purus fuerit, inhabitat eum Deus: post, si ad aliud quoddam opus moueatur, inambulare dicitur, quando iam Deus, eius quoque Deus fit, dum in patriarcharum ordinem peruenit.

Deus in nobis inhabitat.

Esa. 52. P R O P T E R quod exite de medio eorum, & separamini, & impurum nolite tangere, & ego suscipiā uos, dicit Dñs. Nō dixit, ne agatis absurda, sed ne attingite quidem. Impuritas autem duplex est, altera quidem corporis, altera uerò animæ. animæ quidē, ut sordidæ cogitationes, & intueri impudicis oculis, uindictæ cupiditas, siue iniuriæ recordatio, doli, idque genus alia: corporis uerò, ut fornicatio, adulterium, omnisque impudicitia. Vult igitur utrinque nos esse puros. Egredimini igitur ex medio infidelium & segregemini, hoc est, soli agite, separemini, & puri estote, tum suscipiam uos. Cum enim discesseris a prauis, tum unieris Deo.

B T ero uobis in patrē, & uos eritis mihi in filios & filias, dicit Dñs omnipotēs. Viden' qui prædixerit ppheta, quæ iam in nos peruenit p. baptismā, regenerationē, filiorūq; adoptionē?

C A P V T VII.

H A S ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni iniquitamento carnis & spiritus. Quales promissiones? Quōd templum simus Dei, quōd habeamus eū inhabitantem in nobis, & inambulantem cū Deum tum patrem, purgemus nos ipsos ab impuris operibus (hæc enim carnis sunt coinquinatio) & a sordidis ac turbidis cogitationibus. hæc enim sunt contaminatio spiritus, id est animæ.

Concupiscentiā, Dei timor coere est.

P E R F I C I E N T E S sanctificationē in timore Dei. Nō satis est abstinere ab impuritate, uerū opus est etiā quicquā boni p. ficere. Sanctificationē, siue sanctitatē, id est puritatē ac temperantiā. In timore autē Dei apposuit, uel quia est tēperantia instituta, ut placeat hominibus, & nō sunt secundum Dei metū: uel ostendit nobis quomodo hæc perficiamus, nēpe in metu Dei. Nā etiam si sæuiat concupiscentia carnis, timorem Dei habe, ac tolletur infania. Non solam autem temperantiā per sanctimoniam intelliges, uerum etiam quamuis in uita puritatem.

C A P I T E nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem fraudauimus. Rursus sermonem de charitate mouet. Quia enim terruerat eos cum diceret quōd a Deo resiliunt, agglutinarenturq; incredulis & impuris, nunc mitigat eos, inquiens: Capite nos, hoc est, accipite nos lato dilectionis campo, neque sit arctus nobis in uobis locus. Perstringens autem pseudapostolos, nullūq; inquit, læsimus, in pecunijs: neminem corrupimus, hoc est decepimus, in doctrina impia mentem eius perdetes: neminem fraudauimus, hoc est non rapuimus, non quæstum nostrum fecimus uerbi & prædicationis prætextu.

N O N ad condemnationem hæc dico. Prædixi enim, quōd in cordibus nostris estis, ad commoriendum & ad conuiuendum. Non ut uos condemnem, hæc dico. Vnde perspicuum est: ex charitate: quōd in cordibus nostris sitis. Quia uerò fieri potest ut quispiam diligit, nec uelit tamen unā periculis se submittere, propterea dixit, ad commoriendum. Ac quia multi prospere agentibus hisce amicis, non gratulantur aut congaudent propter inuidētiam, addidit: & ad conuiuendum. Totum autem quod ait, est huiusmodi: In periculis non fugiemus uos, in secundo rerum statu conuiuemus, & non inuidebimus.

M V L T A mihi fiducia est apud uos, multa mihi gloriatio de uobis. Quia uidebatur eos ferire cū diceret, Angusto loco cōstringimini, & capite me: defendit nūc sese, medicinā adeoq; curā illis adhibēs. Nō ut cōdemnem uos, hæc locutus sum, sed ob multā meā, quam mihi de uobis polliceor, fiduciam ac libertatem, & quia cupio ad uirtutem uos promouere. Quōd enim

A uos non condemnem, uel inde planum est, quod etiam apud alios uestri nomine glorier.

REPLETVS sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.] Quia correxistis ea propter quæ uos in priore epistola condemnaui, consolatione me replestis. Nec solum me cõsolati estis, quod est à tristitia discedere, uerum etiam lætitia largiter me implestis. Lætitia nanque copiam indicat per uerbum *repletvus*, hoc est superexubero. Ac tantum, inquit, gaudium erat, ut in omni afflictione nostra, & quidem magna suffecisset illud, extinxissetque illam. Hæc porro uidentur pugnare cum ijs quæ paulo antè de ipsis dixit, sed non pugnant. Et hæc enim & illa amanti sunt: illa quidem arguentis, hæc autem stabilientis quod nõ ex inimicitia hæc sint increpationes, uerum ex uehementi dilectione.

ET ENIM cum uenisset in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.] Enumerat calamitatem suam & afflictionem, attollitque sermone, ut ostendat ingens esse gaudium quod ex ipsis dimanet, siquidem tantum dolorem repulerit represseritque. Pulchrè autem dixit carni non fuisse quietem: anima enim diui Pauli est inuicta.

SED omnem tribulationem passi sumus: foris pugna.] Ab infidelibus.

INTVS terrores.] Propter imbecilliores fideles, ut ne seducantur à uanis fratribus.

SED qui consolatur humiles, nos consolatus est Deus in aduentu Titi.] Quia multa eis tribuerat, pducit testè Titum. Quis uerò cõsolatur humiles? Deus, inquit, ille & nos cõsolatus est, ut pote quod Titum nobis miserit. eiu. n. aduetus satis fuit ut dispergeret afflictionem nostram. Vult autè istum uirum illis uenerabile & suspiciendum reddere. Quare magni admodum facit eiu aduetum & presentiam.

Titus.

NON solum autem in aduentu eius, uerum etiam in consolatione quam ipse accepit in uobis.] Non solum, inquit, ob eam causam quod mihi astiterit, afflictionis meæ tempore consolationem sum nactus, cæterum quia & huiusmodi uestram uirtutem nobis denunciauit, ex qua & ipse solamen adeptus est, hoc est, gauisus est in uobis, suscipiens uos propter uirtutes uestras. Conciliat autem & familiarem facit ipsis hunc uirum, quasi de prædicarit eos apud ipsum.

REFERENS nobis uestrum desiderium, uestrum fletum, uestram æmulationem pro nobis.] Verisimile nanque erat eos lugere & dolere, quod ita ægro esset animo præceptor, quod tanto item tempore abesset. Hinc non simpliciter dixit lachrymas, sed fletum siue lamentationem: neque cupiditatem, sed desiderium, hoc est uehementem inquisitionem: neque iram, sed æmulationem aduersus eum qui fornicatus erat. Propter me enim accensi estis & usti, ut iussu mea capefferetis, etiam ut aduersum pseudapostolos æmularemini pro me. Hæc autem dicit Apostolus, non solum priores ictus & terrores curans, cæterum reuera etiam suscipiens eos qui sese emendarant, melioresque mores induissent. Erant enim scelerati multi, & indigni his laudibus, attamen illos ipse non diducit, uerum cum encomia, tum uituperia communia in medium ponit, dans ita cuilibet sibi conscio eligere quod ad se pertinuerit.

ITA ut magis gauderem.] Ex presentia etiam eius exhilaratus, magis, inquit, gauisus sum, quia talia mihi de uobis annunciauit.

ITAQUE etiam si contristauit uos in epistola, me non pœnitent, quauis pœnitebat me.] Et si huiusmodi scripserim uobis, quibus excefferim modum obiurgationis, ut adeo me pœniteret quod ultra modum uos increpauerim: ingens tamen commoditas quæ inde profluxit, nõ finit me porro pœnitentia duci. Hæc autem dicit, non quod reuera immoderate eos increpauerit, uerum ut præconia eorum maiora faciat.

i. Cor. 5.

VIDEO enim quod epistola illa, etiam si ad tempus, uos contristauerit. Gaudeo nunc, non quod contristati estis, sed quod contristati estis ad pœnitentiam.] Tristitia ad horam durat, est temporaria, commoditas autem perpetua. Gaudeo uerò, non quod cõtristati estis: quid enim lucri mihi accedit ex eo quod uos mœreatis? sed quia contristati estis ad pœnitentiã. Obserua autem quomodo tristitia epistolæ attribuat, neque dicat quod profuerit eis, quod iuuerit eos, quod etiam uerum erat, sed illorum uirtuti rem adscribit. Vos enim, inquit, contristati estis.

CONTRISTATI autem estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex uobis.] Obiurgati à nobis, contristati estis secundum Deum, ac in nulla porro re à nobis læsi estis, damnatumue passi. Omnes enim uos, & ipse qui extreme deliquerat per fornicationem, mores uestros correxistis. Præceptor enim tum discipulo damnum infert, quando delinquentem non obiurgat. si enim increpitus esset, facturus erat lucrum, emendaturusque erat sese discipulus.

Præceptor discipulum peccantem non obiurgans, damnatum illi affert.

TRISTITIA nanque quæ est secundum Deum, pœnitentiã ad salutem haud pœnitendam operatur: mundi uerò tristitia mortem operatur.] Philosophatur de mœrore, ostendens quod nõ semper sit noxia res mœror, sed quando secundum mundum fiat, hoc est, propter pecunias, propter gloriam, propter mortem obeuntes. Ipsa enim mundi tristitia mortem efficit, omnino quidem animæ, sepe uero & corporis mortem. haud pauci enim ob has res perierunt. Propter peccata uerò si quis uolens tristatur, secundum Deum contristatur. Medicina enim hæc ad hanc ægitudinem solum commodat, haud pœnitendam salutem efficiens (nemo enim seipsum condemnat peccati nomine contristatum) eaque medela à morte animæ hominem eripit.

Contristatio peccati medela.

ECCENIM, quod secundum Deum contristati fuistis, quantam in uobis genuit sollicitudinem.] Non ab alijs, inquit, demonstro commoditatem ex mœstitia quæ est secundum Deum, prouenientem, sed ex uobis. Non tantum enim non pœnituit uos quod cõtristati fueritis, imò potius studiosiores, magisque seduli facti estis.

Theophylact.

R 2 SED

SED defensionem.] Erga me. Excusati enim apud me estis, quia respiciistis.

SED indignationem.] Erga eum qui fornicatus erat.

SED timorem.] Erga me: metus enim erat, tanta adeoque festina correctio.

SED desiderium.] Erga me. Cum dixisset metum, ne putaretur ista ex autoritate quadam sui ipsius dicere, statim correxit, desiderium inquit: quod charitatis, non potestatis erat indicium.

SED æmulationem.] Pro Deo.

SED uindictam.] Legum Dei: ulti enim estis iniuriam passos.

IN omnibus exhibuistis uos, incontaminatos esse in negotio.] Non solum, inquit, nihil tale estis ausi, quale commisit fornicator iste, sed neque oblectati estis. Quia enim in priore epistola dixerat, Et uos inflati estis, quod eos socios constituebat sceleris, talem, inquit, iam nunc suspicionem de uobis detriuistis, demonstrastisque uos esse pueros ab hac reprehensione.

1. Cor. 5

IGITUR etiam si scripsi uobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro uobis erga uos coram Deo.] Ne dicant ei, Quid igitur increpabas nos, si sancti & casti in opere eramus? ait: Ad deum habeo gratiam literis illis, nec pœnitet me obiurgationis, ut dicam quod propter hoc ipsum hæc scripserim, ut dilectio mea & sollicitudo mea pro uobis manifestetur erga uos coram Deo, hoc est, inspectante Deo, quoniam uera est. Metuebam enim ne & in uos perueniret contagium. Quem autem dicit iniuriam intulisse, & iniuria adfectum: eos qui fornicati erant, utriusque enim se in uobis iniuria adfecerunt. Quomodo autem dicit, quoniam non propter hos scripsit? Hoc est, scripsi quidem propter hos etiam, sed non præcipue propter eos, propter uos uero potius: cauens atque operam dans, ne ciuitas uniuersa læderetur: perinde ac cum dicit, Nonne Deus curam gerit bouum: non hoc dicit quod Deus nulla bouum cura tangatur: qui enim aliam perstitissent: uerum quia propter illos Deus præcipue non sancit leges.

Fornicantes, se
in uicem iniuria
afficiunt.

1. Cor. 9.

PROPTEREA consolationem accepimus.] Eo quod studium meum apparuit pro uobis, nec fraudatus sum spebus meis, propter hoc (inquit) maximam consolationem accepi.

SUPER consolatione autem ueltra abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi.] Nunc uero ad consolationem qua consolati estis me, ut dictum est, longè adhuc uehementius gauisus sum super gaudio Titi. Ipsa uero lætitia & consolatio ex uobis est & propter uos. Ait ergo deinceps:

QUIA refectus est spiritus eius ab omnibus uobis. Nā si quid gloriatus sum de uobis, non sum pudefactus.] Eam ob rem exhilaratus sum, inquit, quod inuenit uos Titus tales, quales ego ipse dixi uos esse. Proinde & ipse recreatus est cum tales uos inuenit, neque quicquam asperum aut iniucundum ipsi à uobis occurrit. Quod uero Paulus gloriatur discipulorum nomine, indicat uirtutibus eos conspicuos fuisse, ipsumque liberorum amantem. Tales igitur hodieque conuenit discipulos esse atque præceptores.

SED sicut omnia in ueritate locutus sum uobis, sic & gloriatio nostra quæ fuit super Tito, uera fuit.] Ut, inquit, quæcunque prædicaui uobis, uera fuerunt: uel quia uerisimile erat eum de Tito ipsis encomia dixisse: quem admodum igitur hæc omnia uera, sic quæcunque de uobis gloriatus sum, uera uisa sunt.

ET uiscera ipsius abundantius sunt erga uos.] Titum ideo ipsis commendat, ut & ipsi rursus eum diligant, ceu colligatum ipsis, & ipsorum amore flagrantem. Hinc enim dixit uiscera eius, ut affectum & ignem genuinæ charitatis indicet.

REMINISCENTIS omnium uestrum obediētiam, quomodo cum tremore & timore excepistis illum.] Causas reddit propter quas Titus eos adeo diligit: ostendens principium dilectionis ex ipsis esse, simulque eos ad hanc adhortatur. Nō enim simpliciter charitatem aut studium uestrum erga ipsum ostendistis, sed obediētiam, tanquam liberi patrem recipientes, imò tanquam etiam principem: nā cum timore, adhuc autem & cum tremore. Duplicem enim ipsis uirtutem inesse testatur, dilectionem, ueluti ad patrem: & metum, tanquam ad principem: ut neque charitas timoris expers deficiat, neque timor à dilectione seiunctus iniucundus sit, & ingratus.

Timoris et charitatis
coniunctio.

GAVDEO quod in omnibus confido in uobis.] Non propter Titum tantum gaudeo, quod honoratus sit à uobis, uerum quia tales uos inuenio, qui non pudefaciat me, sed potius confidentem reddatis, ac liberè de uobis loquentem, in omni re ac tempore. Quin & aliter confido etiam ac polliceor mihi de uobis, quod quæcunque dixerō uel fecero, libenter uos suscipiatis, & ad uestram emendationem, siue increpare siue commendare opus fuerit.

CAPVT VIII.

NOTAM autem facimus uobis fratres gratiam Dei quæ data est in ecclesijs Macedoniæ.] Non frustra in superioribus multis præconijs eos euexit, uerum antea leniit eos, quia ad paupertatis amorē eos adhortaturus erat. Propterea enim & supra dixit, Confido in uobis, hoc est, quæcunque uobis dico, facitis. Non dixit autem statim, Date elemosynam: sed quæ ab alijs acta erant, in medium promens, ad similem zelum & hos adhortatur. Obserua autem quomodo gratiam Dei misericordem mentem appelleret: partim quidem gratum, inuidiamque carentem sermonem faciens: partim ut Corinthios prouocet, quod & ipsi idem tantam donum Dei arripiant. Non dixit autem huic uel illi urbi, uerum totam Macedoniā commendat: ut & ipsi omnes ex æquo ad similia respiciant.

Supra 7.

QUOD in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit.] Id est, multum afflicti,

A afflicti, & sic ut probati fiant per patientiam: non succubuerunt tamen, sed magis gauisi sunt: & non simpliciter, uerum cum exuberantia.

ET profunda paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.] Hoc est, quæ admodum ingens afflictio exuberauit in lætitiâ: sic ingens & profunda eorū paupertas non solum nō impedijt eos ad eleemosynā, sed exuberare potius eos ad opes p̄suasit. Nō dixit aut datorū, sed simplicitatis, hoc est, cādidī animi, & ad largiendū prompti. Nō enim ex multitudine donorū, sed animi promptitudine liberalitas æstimatur. Hoc aut mirandū, quod tanta ex paupertate (direpti nanque sunt à proprijs contribulibus) tantam declararint liberalitatem.

Beneficium non multitudine donorum, sed charitate metiuntur.

QUIA pro uiribus testimoniū illis reddo, & supra uires uoluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos.] Interpretatur quod dixit, Pro uiribus, inquit, imō & supra uires, hoc enim appellat exuberantiam simplicitatis, supra uires inquam. Quinetiam non admoniti à nobis, uerum sua sponte. Ecquid hoc dico: illi igitur ipsi multum adhortabantur nos & rogabant. Hæc autem dicit, ut & ipsos commonefaciat non tam ut multa dent, quàm ut eum alacritate dent. Hanc ob rem immoratur in eodem sermone.

GRATIAM & communicationem ministerij quod fit in sanctos.] Deest, adhortabantur nos suscipere ministerium hoc. Gratiâ autem dixit, ut postquam æmulatores essent spiritua liū charismatū Corinthij, accurrant etiam huic ueluti charismati, perinde ac supra cōmemoratum est. Communicationē autem uocauit, ut discant quod nō solum dēt, uerum etiā accipiāt.

ET non sicut sperauimus.] Non sperassemus, inquit, quod quum in tanta paupertate & afflictioe essent, nos adeo enixè rogare in animū induxissent, ut susciperemus ministeriū eorū.

SED seipso dederūt primū Dño, deinde & nobis per uoluntatē Dei.] Alias eorū uirtutes hic cōmemorat, testimoniū illis phibens. Nō. n. postquā eleemosynæ curā gesserūt, excecati alia neglexerūt: cæterum seipso dederūt totos Dño, ad oñe opus Deo gratū p̄sus, & nō duplici animo nutates. Nobis aut dederūt seipso, hoc est, in omnib. obediētes & subiecti fuerūt, charitatē ostenderūt per uoluntatem Dei, hoc est, uti Deo placet, & nō humanæ rationi.

UT nos adhortaremur Titū, ut quemadmodū iā antea cœpisset, in uobis sic perficeret gratiam hanc.] Adeo, inquit, illi sese ad eleemosynam dederūt, ut ego conspiciat, anxie cogitarem pro uobis, ne ipsi inferiores essetis, ac propterea adhortarer Titum ut ueniret ad uos: quod & ipse iā antea exorsus erat, id est, proposuerat uenire ad uos, priusquā eū cōmoneface rem. Familiarē aut per ista ipsis cōciliat Titū, ut ubi uenerit, atq; de eleemosyna cōsultet, facili us ei credāt, ceu cogitanti quæ ad eorū salutē faciāt. Rursus aut gratiā uocauit rē istam: magnū enim reuera est donum Dei, ut quod eum in quo est, assimilare possit Deo. Vnde & sapiens quispiam dixit: Magnum quiddam homo, & preciosum quiddam uir misericors.

SED sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientiâ, & omni sollicitudine & charitate uestra in nos, ut & in hac gratiâ abundetis.] Cū laudibus adhortatur, inquit: Quemadmodum cætera omnia abunde tenetis, sic & hoc loco, non ut detis, uerum ut exuberetis uel supra Macedones, uel ut largi sitis simpliciter. Fide autem charismatum indubitata, sermone uerò sapientiæ, sciētiâ doctrinarū, & omni sollicitudine erga aliā uirtutem, & charitate quæ ex uobis est in nos. Prædixit enim, Indicatis Titō dilectionem uestrā in me, æmulantes pro me.

NON quasi imperās dico.] Hoc est, nō cogo uos, neq; uelut aliquā in uos potestatem habēs.

SED per aliorum sollicitudinem, etiam uestre charitatis ingenuum bonum comprobās.] Hoc est, propterea laudo Macedones, ut per illorum diligentiam, uestram erga pauperes sanctos dilectionem probatiorem & fulgentiorem.

SCITIS enim gratiā Dñi nostri Iesu Christi, quod p̄pter uos paup factus est, cū diues esset, ut illius inopia uos diuites essetis.] Hoc est, cogitate, expendite uobiscum ingens mysterium, & nulli rei parceris. Si enim non credis quod paupertas diuitiarū sit effectrix, cōsidera Do-
minum tuū, & nō amplius dubitabis. Nisi enim ille pauper factus esset, hoc est infra iacentem
& ingloriam carnē suscepisset, aliāq; cuncta cōtumeliæ plena sustinuisset, idq; propter nos in-
dignos inimicos suos, nos haud essemus ditati. Quales autem opes ait: pietatem, puritatem
& purificationem, sanctificationem, cæteraq; bona, quæ cum dedit, tum daturus est.

Paupertas, diuitiarum effectrix:

Diuitie Christianorum.

ET consilium in hac re do: hoc enim uobis utile est.] Animaduerte quomodo minimè molestus esse contendat. consilium enim, inquit, do, id est consulo, non necessitatem impono. Isti autem consilium do, eo quod uobis magis profit quàm accipientibus.

QUI non solum facere, sed & uelle cœpistis ab anno superiore, nunc uerò & facto perficite.] Non porrò ex aliorum studio eos commonefacit, cæterum ex sua ipsorum promptitudine. Sponte, inquit, uestra ad hoc uenistis, nec fundamentū tantum iecistis ad facere ipsum, uerum & ad uelle, hoc est, ad hoc ut uoluntarij, nullo etiam adhortante, faciatis. Nunc igitur consilium uobis do, ut & opus perficiatis.

UT quemadmodum promptus est animus uoluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.] Ut ne ad promptitudinem usque bonum consistat, uerum & perfectius re ipsa fiat. Perinde nanque ut promptitudinem & deliberationem uoluntas facit, sic & opus ex facultate nascitur. Qui igitur habet, impleat opus. nam qui non habet, siue qui non potest, quod ad uoluntatem attinet, opus impleuit.

SI enim uoluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundū id quod

Theophylact.

R } non

Macedones, Thessalonicenses. nō habet.] Intuere sapientiam, qua ratione Macedones, Thessalonicenses inquam commēdāns, quōd supra uires pręstiterint, ab his nihil ultra uires poscat. Si igitur animos pronos habueritis, pro uirili quę potestis contribuite, ac suscipit hęc Deus.

Mar. 12. NON enim ut alijs sit remissio, uobis autem tribulatio.] Nō ut alij in quiete ac delicijs agant, uos oportet supra uires elargiri, ut ex hoc penuriam & afflictionē sustineatis. Atqui Dominus uiduam etiam laudauit, quę omnes facultates suas impertijt. Verū enim uerō Paulus hoc nunc non agit, partim quōd imbecilliores erāt, partim quōd opulenti erant: unde omnino si pro uiribus suis dedissent, pręclara & eximia contributio fuisset. Deinde etiam sperat Thessalonicensium exemplo eos magis excitandos, quare illorum arbitratui & potestati rem relinquit. Deniq; in sequentibus suboscure ad eandem rem inhortatur.

Dandum etiam supra uires. SED ex æqualitate in pręsenti tempore uestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abudantia uestre inopię sit supplementū.] Hoc est, floretis uos opibus & pecunijs, illi autē florent fiducia & libertate erga Deum. Date igitur ex ijs quibus exuberatis pecunijs, quibus illi destituuntur: ut accipiatis à copia & fiducia qua illi quidem locupletes sunt, uos autem inopes. Animaduerte quomodo clanculum confirmet ac probet ut supra uires etiam det. Si enim uis ex abundanti accipere, da etiam ex abundanti: sin totam uis omnino compensati onem accipere, tu pariter totum exhibe: quod quidem est ex inopia, & supra uires. uerū id clam (ut dixi) agit. Haftenus igitur, ut apparet, pro uiribus dare commendat.

Exod. 16. VT fiat æqualitas, sicut scriptum est: Quoniam multum non exuberauit, & modicum non defecit.] Quānam ratione sit parilitas? si & uos & illi exuberantia permutetis, ac defectus repleatis. Ecquę est parilitas, spiritalia pro carnalibus dare? Non secundum precium, quo magni quicquam æstimatur: nec secundum uilitatem rerum, quę dantur uel permutantur, æqualitas dicta est, uerū quatenus ex eo quo abundatis, datis uos: ac contrā, quo illi exuberant, uobis communicant: ac iterum quo indigetis, ab illis accipiatis: & illi, quo opus habent, à uobis accipiunt: secundū hoc est æqualitas. Pręcipue autem in pręsenti tempore ea locum habet æqualitas: in futuro autem plurimum excellunt ea quę ipsi donant. Proinde submitte uos opulenti, siquidem in rebus stabilibus uos pauperes antecellūt. Producit autem quod de manna factum est, partim ut indicet quomodo fiat æqualitas: quando uidelicet qui multum habet diues, dederit quod sibi superfluit, ei cui parum est, sic fit ut ipse neque abundet, neq; alter deficiat, ut qui ab illo acceperit quo quod deerat completeret. ac rursus idem fit in fiducia erga Deum. Simul uerō maius etiam aliquid perficit, ob oculos ponens opulenti, quōd quemadmodum in manna, qui plus collegerāt, & qui minus, omnes eandē habere mensuram inueniebātur, Deo auaritiā & insatiabilitatē eorū puniēte: sic hodieq; nō oportet nimium expetere.

Manna mysterium.

GRATIA autem Deo, qui dedit eandē sollicitudinem pro uobis in corde Titi.] Cū de elemosyna, quantum res poscebat, disseruisset, deinceps cōmendat qui eā ob rem missi erant, ut omni suspicione carentes, uehementius eos ad alacritatem & promptitudinem cōtribuendū impellant. Quia uerō inter hos primus erat Titus, laudat eum, Deique opus esse dicit quo ad ministrandum ecclesijs sit excitatus. Eandem enim curam & sollicitudinem, quā & ego habeo pro uobis, Deus menti eius imposuit. Hinc uerō hortatur eos ut rationi consentaneam faciāt contributionem. Si enim Deus Titum excitauit, Deus etiam denique per eum petit: par est ergo ut Deo dignam elemosynam faciatis.

QUONIAM adhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua uoluntate profectus est ad uos.] Vnde planū est quōd Deus Titū excitauerit: Quoniā cōmonefactus à me, promptē & alacriter adhortationē à me suscepit, neq; quicquā murmurauit: imō & sua spē exiuit, ut etiā si ego ipsam nō essem adhortatus, proprium tamen studiū suum demonstrasset.

Prædicatio etiā non scripta, eūgelium.

MISIMVS autem unā cum ipso fratre, cuius laus in Euāgelio per omnes ecclesias.] Nō nulli Lucā hic intelligi aiūt, ppter Euāgelium quod scripsit: nonnulli uerō Barnabā. Nā & prædicationē nō scriptā, Euāgelium uocat. Non immoratur autē in huius præconijs, perinde ac in Titi: forsan ideo, quia Corinthijs nō erat cognitus, Titus autē abundē notus erat. Attamē & sic idoneū encomiū adeoq; præclaram laudem texit. Nō enim simpliciter dicit, Euāgelion prædicat, uerum etiam laudatur: non à duobus uel tribus, sed ab omnibus ecclesijs.

NON solūm autem, sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostrę, cū gratia hac quę à nobis administratur.] Cōmendat hominē ex iudicio eorū qui ipsum selegerunt. Non enim tantummodo Euāgelij uerbum prædicans commēdatur ueluti probatus, uerū ab ecclesijs electus est etiam, ut simul nobiscum proficiscatur. proinde cū tētationum tum periculorum est socius. Hęc autem Barnabę magis quadrant. Electus est autem ad gratiam hanc, hoc est ad pecuniarum ministerium, ut unā nobiscum sit administer.

AD ipsius Domini gloriam, & promptitudinem uestram.] Hoc est, ut Deus glorificetur, & uos promptiores reddamini: utpote cum pecuniarum receptores probati sint, adeoq; spectatę fidei, ut nemo aduersum ipsos suspensionem parere queat.

VERITI hoc, ne qs nos carpat in plenitudine hac, quę administratur à nobis.] Decet hoc quod hic ait, sanctam Pauli animam, ingentemq; curam & submissionem. Eam enim ob rem, inquit, tales misimus: nec unum, sed plures. *et alios uos* ueriti, id est suspicantes, & metuentes ne quis sinistram de nobis opinionē cōcipiat, qua cogitet nos quicquā ē pecunijs in usum nostrū sub-

A sublegere. Nec dixit, Ne uos, sed Ne quis alius: ne succenseant tanquam suspecti quòd de ipso talia tentiãt. Si quidem plenitudo ipsa, id est copia pecuniarum, satis est idonea ut prauis suspitione præbeat, nisi securitatem ostenderimus.

PROVIDENTES bona non solum coram Deo, uerum etiam coram hominibus.] En Pauli mentem, quàm sollicitus fuerit ne scandalum poneret fratribus. Non enim dixit, Ego purus sum, luceat qui uult: sed quemadmodum, inquit, coram Deo prouideo, hoc est, curo uideri inculpatus, sic & coram hominibus: ac quanto sunt imbecilliores, tanto magis nos demittere oportet, quandoquidem & paruulis pueris condescendamus, si laturi simus eos.

Scandalum fratribus ponere Paulus ueretur.

MISIMVS autem cum ipsis fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe studiosum esse, nunc autem studiosiorem ob multam fiduciam quam habeo erga uos.] Alterum addit, fratrem eum nominans, & comendans ipsum ex hoc quòd probarit ipsum, iudicauerit què studiosum esse & in multis argumentis, & sæpe. Laudis autem exaggeratio est, hac ratione geminare dictionem. Nunc autem, dicit, studiosior factus est, tanquam confidens quòd uos largiorem eleemosynam facturi sitis, quam administraturus est.

SIVE pro Tito qui est socius meus, & ad uos adiutor.] Hoc est, si quid mihi dicendum, super Tito eadem dicenda sunt, quòd collega meus sit, adiuuans me in institutione uestri & communitate. Vel, si quid Titi nomine facturi estis, nõ uulgaris cuiuspiam nomine facietis, sed collegæ mei.

SIVE fratres nostri.] Hoc est, siue pro alijs uultis quicquam audire, & illi multum iuris habent cur fide digni uocentur: etenim fratres nostri sunt.

APOSTOLI ecclesiarum.] Hoc est, ab ecclesijs missi & electi.

GLORIA Christi.] Quod omnibus maius est, posterius posuit. In Christum, inquit, omnia referuntur, quæcunque illis obtingunt.

OSTENSIONEM igitur charitatis nostræ & gloriationis nostræ pro uobis, erga ipsos ostendite in facie ecclesiarum.] Nunc ostendite, inquit, quomodo diligatis nos, quomodo etiam nos non frustra gloriemur de uobis. Monstrabitur autem, num charitatem in ipsos ostendatis. Etenim & in faciem ecclesiarum facietis, quod facietis ad hos, hoc est, ad honorem ecclesiarum. Faciem nanque ecclesiarum habent illi, quæ miserunt ipsos.

CAPVT IX.

NAM de ministerio quod fit in sanctos, superfluum est mihi scribere uobis.] Cum hæc antea dixerit, postquæ hac rursus dicturus sit, superuacaneum sibi tamen dicit de his scribere. Sapienter autem hoc facit, ut magis eos attrahat. Pudefient enim si Paulus talem de ipsis opinionem habeat, quòd consilio nihil opus habeant ad id, ut sanctorum misereantur, postea autem deprehendantur ea opinione inferiores.

NOVI enim promptitudinẽ uestrã, qua de uobis apud Macedones gloriatur, quòd Achaia parata est ex anno superiore.] No ui, inquit, & ipse animi uestri promptitudinẽ: nec hoc solum, uerũ etiã gloriatur apud alios, quòd parata sit tota Achaia, nõ sola Corinthus: neq; quicquã deest nisi ut ueniãt qui pecunias accipiãt. Quare pudori mihi est si uidear frustra & falso gloriari.

ET uestra æmulatio prouocauit complures.] Atqui supra dixit, uoluntarij, siue spontanei rogantes nos: quomodo ergo nũc dicit, Æmulatio uestra incitauit plures? Non dixit Omnes, sed Plures. Alij nanq; sua sponte & rogantes nos contribuerunt, alij autem per uestram æmulationem incitati: siquidem plures stimulo habent opus. Vel quia non consulimus, nõn adhortati sumus, sed tantum laudauimus uos. idq; satis fuit eis ad adhortationem. Vident quomodo & illos per hos excitet, hosq; per illos? Doctores, inquit, illis facti estis. ne igitur discipulis uideamini inferiores, uos qui doctores estis.

Suprà 8.

Æmulationis ad uirtutem stimulus.

MISI autem fratres, ut ne quod gloriamur de uobis, euacuetur in parte hac, ut quemadmodum dixi, parati sitis.] Seipsum ueluti partem Corinthiorum quandam facit, certatq; pro ipsis. Ait enim: Quia postquam uestri nomine gloriatus sum, metui ne pudefieremus, & propterea misi fratres, ut ne euacuetur, id est frustraria & uana arguatur gloriatio mea de uobis. Ego enim apud omnes propter uos glorians, etiam gloriatus sum apud illos. Itaque si deficiatis, communis est ignominia: sed non in omnibus, uerũ in hac sola parte, hoc est, ut ne pudefiam in hoc solo de eleemosyna argumento, sed parati sitis, perinde ac dixi Macedonibus, quòd parati sint in tota Achaia omnes, neque quicquam eis deest.

NE quò pacto, si uenerint mecũ Macedones, pudefiamus nos, ne dicamus uos, in hac substantia gloriationis.] Rursus circa eadem uersatur, intenditq; angore ab humanis rationibus ipsos permouens. Maior enim est uerecundia, si quisquã apud alienas personas rubore suffundatur. Forsitan, inquit, mihi confiditis ceu ignoscenti uobis: at enim Macedonas animo uoluite, qui forsã mecũ uenient, uerũ simile est enim hoc. Et si inuenerint uos, non dixit nolentes dare, cæterũ imparatos. Si enim non paratum esse, aut celeriter nõ contribuere, pudor est: quanto magis omnino nihil contribuere, uel minus quã par sit? Corripit autem sermonem dicens, Quoniam non pudefiamus, ut ne dicam quòd uos, in hac substantia gloriationis: hoc est, non alia in re pudefiamus, præterquam in sola de eleemosyna gloriatione, cum cætera uestra reprehensionem non admittant. Hoc autem dicit non adulans eis, uerũ promptiores potius reddens, ut ne in alijs probati, in hoc non inueniantur probati, sibi què ipsis

inferiores. Cum uerò ait, ut ne dicam uos, ostendit quòd ipsi maiorem sint ignominiam relatu-
ri: ipsorum nanque peccatum est. Substantiam autem, subiectum, uel materiam uel rem ipsam,
uel gloriationis essentiam intellige.

NECESSARIUM ergo existimaui præmittere fratres, ut præparent hanc benedictionem
uestram, ut sit parata, sic ut sit benedictio, & non [†] auaritia.] Ut ne uideatur sibi contrarius esse
(cum enim supra dixisset, superuacaneum mihi est scribere, nunc de his rursus disserit) obser-
uandum est quòd hic de largitate & liberalitate disputet, ac de alacritate quam operi adhiberi
par est: horum enim gratia sese misisse fratres adserit. Duorum porro pugnantium inter se ad-
monens, ut dent amplè siue largè, & cum promptitudine animi, sapientissimè utraque aggredi-
tur. Prius enim de alacritate eius qui dat, disputat: post de altero etiam capite. Ait igitur: Bene-
dictio est quod datur, nemo autem benedictionem dâns contristatur. Ostendit autem eos sta-
tim fructu suo germinare, benedictione q; repletos eos qui præbent. Neq; hoc illi fatis fuit, sed
adiicit, & non ueluti auaritiam. Ne igitur existimetis, inquit, quòd ueluti auarè petentes, hæc
accipimus, sed uolentes benedictionem uobis conciliare. Quare qui dat inuitus, ueluti [†] auari-
tia, aut plus habendi cupiditate immodica tenetur.

*Eleemosynarū
fructus.*

† πλεονεξία.

*† πλεονεξία
auaritia, siue
plus habendi
cupiditas, uel
fraudatio, siue
circumuectio.*

HOC autem dico qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, in
benedictionibus & metet.] Ad aliud caput iam transit, quod est de dando largiter, inquitur:
Hoc etiam adijcio ad ea quæ cōmemorauī, quòd non parcè oporteat dare. Et nō dixit tenuiter,
sed celebrius parsimonix uocabulum posuit. Ac semen opus ipsum uocauit, ut protinus ad re-
tributionē respicias, ac discas quòd plura accipias, quàm des. Cum enim dixisset, quòd largiter
dandum sit, rursus etiā meminuit quòd cum animi alacritate pronaq; mente dandum sit. Quod
enim ait, seminans in benedictionibus, hoc indicat, perinde ac in superioribus dictum est.

Eccles. 35.

VNVS QVISQVE enim prout destinat in corde suo, non ex tristitia aut necessitate. Hila-
rem enim datorem diligit Deus.] Immoratur sermōni quem de promptitudine in dando ad-
duxit, compertū habens Macedonū exemplum sufficere ad hoc ut excitet eos quòd plura dent,
utq; rubore suffundat ac pudefaciat eos, si inferiores illis appareant. Ipsorū autem mentem sa-
nat, ut sit etiam uirtus quod ab ipsis fit. si enim inuoluntarium est quod faciunt, non est uirtus.
Ut igitur uerus præceptor, discipulos suos omnino uult pro uirtutis ratione ac formula facere
quod faciunt. Simul autem ut & merces ipsis tota contingat, uoluntariò faciunt bonum. Nam
inuoluntarium minuit, & succidit mercedem. Ob eam causam inquit, unusquisq; ut in corde
suo destinât siue prædeliberat, non ex mœreore aut necessitate. Testimonia præterea ex Solo-
mone producit. Atqui sermo Sapienti de largitate dictus est, ipse uerò intellexit eum de pro-
na in dando mente: aut si malis, ad utraque retulit.

POTENS est autem Deus omnem gratiam exuberantem facere erga uos.] Hisce uerbis
diluit ac inuertit cogitationem, quam multi habemus, Si multa (dicentes) dederō, metuo ne
iam ad paupertatem redigar. Ait igitur: Deus potest adeò uos rerum copia affluentes facere,
ut & omnem gratiam, hoc est eleemosynam possitis cum exuberantia facere. Date igitur largi-
ter, ut & eleemosyna uestra magis magisq; exuberet.

VT in omni re omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.] Viden-
t non opes ipsis exoptat, sed sufficientiam. Hoc aut̄ dicens, indicat quòd neq; adigat, neque com-
pellat eos ex defectu siue inopia dare: neque enim sufficientiam deinceps haberent. Simul au-
tem docet ubi nam oporteat donis Dei uti. Ut abundetis, inquit, ad omne opus bonum. Siqui-
dem in carnalibus, uobis sufficientiam exopto: in spiritualibus autem (hoc enim est quod ait,
Ad omne opus bonum) abundantiam etiam uobis imprecor, ut nedum abundè misericordes
sitis, uerum etiam omne opus Deo placens liberaliter faciatis.

Psal. III.

*iustitia, clemen-
tia.*

§ ICVT scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum.] Ut con-
firmet quod dixit, Ut exuberetis, ex Propheta testimonium protulit: Dispersit. hæc enim di-
ctio, liberalitatem & exuberantiam indicat. pecuniæ igitur & facultates non manent: iustitia
autem, hoc est amicus erga homines affectus siue humanitas (sic enim eam uocat, ranquã quæ
hominem iustificet, ac peccata soluat) ea igitur perdurat in seculum tum præsens, tum futurū.
Hic enim misericors ab omnibus diligitur: & ab illis prognati, à posteris diliguntur.

QVI autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstet, & multipli-
cet semen uestrum, & crescere faciat germina iustitiæ uestræ.] Exoptat hic illis & corporalia
& spiritualia, sermōniq; suo auctoritatem conciliat à sensibili agricultura. Si enim terræ semina
mandantibus Deus impertit semen, ac si corpus alentibus, alimoniam præbet: quanto potius
cælum colentibus, animamq; alentibus, suppedietabit sumptum. Dicens igitur, Suppedietet &
multiplicet semen uestrum, de sensibus subiectis opibus intelligit, quas uult spirituale semen
effici, dum pauperibus erogantur. Hinc enim crescit omne opus in nobis, atque adeò iustitiæ
manipuli augetur. Propterea infert, Et crescere faciat germina iustitiæ uestræ. Hic autem no-
ta, quòd non delicias, sed alimoniam, impertientem Deum introducat: Panem, inquit, ad man-
ducandum. Ex Esaia hoc desumptum est.

Esa. 55.

*Diuitijs quomo-
do sit utendum.*

IN omnibus ditescetes ad omnem simplicitatem, quæ efficit per uos gratiarum actionem
Deo.] Indicat hic rursus qui nos diuitijs uti oporteat, quoniam nō sunt defodiendæ, cæterum
ad omnem simplicitatem habendæ: hoc est, cum liberalitate quadam sunt euacuandæ. Cum
enim

A enim haud parum multi in scorta & mimos simplicitatem ostendant, Talem, inquit, simplicitatem dico, quæ multam gratiarum actionem adfert Deo: inò uerò non solam gratiarum actionem, uerùm & multa alia quæ in progressu epistolæ deinceps ponit, ut sic commonstret, pleraque bona ex simplicitate progigni, prouiores eos ad hanc efficiat.

QVONIAM ministerium huius officij non solum supplet ea quæ defunt sanctis, uerumetiam abundat per multas gratiarum actiones Deo per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis uestre in Euangelium Christi, in simplicitate communicationis in ipsos & in omnes, & ipsorum preceatione pro uobis, desiderantium uos propter eminentem gratiam Dei in uobis. Ministerium, inquit, id est suppeditatio hæc & contributio, multa perficit. Etenim non solummodo repletis egestatem & indigentiam fratribus, uerumetiam exuberatis, hoc est, plus quam necessariū sit, ipsis exhibetis, multæq; gratiarum actiones fiunt per probū hoc & comprobatū propter humanitatē ministerij. Glorificat enim Deū, quòd sic subiecti sitis, obediueritisq; Euangelio, ut expleatis iussū eius cum liberalitate. Eleemosynā enim Euangelium ipsum docet. Alia etiā ratione glorificant Deum, quia simplicitas & bonitas uestra non in solos ipsos, uerum in omnes etiam fideles pauperes effunditur. Non enim inuidiæ affectu laborant, reliquorū mendicorū instar, uerum gratias agunt quòd alijs etiam detis: quod maximæ uirtutis eorum argumentum est. Quare huiusmodi hominibus largius dandum est, qui adeò inuidia uacant, qui adeò uirtutibus sunt præditi. Insuper pro uobis etiam apud Deū interpellant, ut digni iudicentur uidere uos, nò pecuniarū causa, uerum ob excellentē Dei gratiā, excellenter uobis datā. Rursus autē gratiam, eleemosynæ negotiū uocauit, omnia ita Deo accepta referens, ut ne ipsi attollantur. Cum autem dicit excellentem gratiam, excitat eos ut largiorem munificentiam faciant, ne exuperentur aut uincantur ab alijs.

Luc. ii.

Bonis largius donandum.

GRATIA autem Deo, super inenarrabili dono eius. Donum hic nominat bona ipsa quæ per eleemosynam fiunt tum dantibus tum accipientibus: uel bonorum commonefacit, quibus donati dignatiq; sumus per incarnationem Christi, perinde ac si dicat: Ne arduum uos facere existimetis. inenarrabilia enim sunt bona quæ accepimus à Deo. Quid igitur præclari est, si pauca, eaq; corruptibilia demus?

CAPVT X

IPSÆ autem ego Paulus obsecro uos per mansuetudinem & clementiam Christi. Confessis de eleemosyna sermonibus austeriora nunc orditur aduersum pseudapostolos, & eos qui calumniabantur ipsum ceu rudem & indoctum, & temerè sese iactantem. Et futurum est ut seipsum commendat coactus, ne ipsius prædicatio uilipèdatur. Recenset igitur quæ per se gesta sunt, gratiamq; Dei sibi datam. Itaque non aberrauerit, qui hanc epistolam Pauli encomium dixerit. Exordij igitur talis quædam est sententia, quam uerba indicant, ad eos nanque loquitur, qui eum impotentem & arrogantem uocabat. Obsecro, inquit, uos ipse ego Paulus, terrarum orbis doctor (dignitatem enim & auctoritatem indicat hæc uerba, Ipse ego Paulus: perinde ac illa, Ecce ego Paulus dico uobis & precor uos, ne me cogant conuiciantes mihi, uti potentia mea aduersum ipsos.) Magna autem res est apostolum obsecrare. Porro mansuetudinem etiam Christi ad interpellationem adducit, perinde ac si dicat, Reueremini clementiam Christi, per quam uos obsecro: simul ostendens cur eis parcat, nimirum ut imitetur mansuetudine seruatoris Christi, non quia nò possit quicquā aduersus eos. Ne igitur cogatis me egredi, ac deficere à mansuetudine hac, quā adeò cupio, ut & intercessionis loco eam obijciam uobis.

Ephes. 3.
Colos. ii.

QVI in facie quidem abiectus sum inter uos, absens autem confido uobis. Vel per ironiam hæc dicit, calumniantium eum uerbis usus. Dicebant enim illi, Qui præstò adest, nullius est momenti, sed uilis atq; contemptibilis. sin absuerit, tumet & superbit, audetq; aduersum uos, & in terminatur. Vel uerè hæc de se ipse dicit: Ego cum sum apud uos, humilis & mansuetus sum erga uos, ac etiam si nunc magna proloquar, non ex arrogantia istud ago, sed quia confidā uobis.

ROGO autē uos, ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam qui arbitrantur nos ueluti secundum carnem ambulare. Precor, inquit, ne me adigatis confidenter uti potentia mea (confidentiam enim potentiam suam uocat) qua *νομιμα*, id est cogito audere, hoc est, in animum induco, ratiocinor, aut conijcio, eo quòd illi me compellat, aduersum calumniantes nos, quasi hypocritæ & ostentatores simus. hoc enim est secundum carnem ambulare. Obserua autem quomodo audaciam appellat, quòd omnino se de quibusdā ulcisci uelit, nec propter seipsum, cæterum ob uerbum à se prædicatum hoc facturus erat. Attamen magis interest præceptoris, in supplicijs contatorem agere, nec protinus ad illa adsilire.

νομιμα passiuè capiti, id est, existimor, ut uulgariis habet trās latio: sed actiue sumptum significat cogito, ut hic Theophyl. accipit.

IN carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Hoc est, carne amicti, carnalibus armis haud utimur. De prædicatione enim disputat, ostendens quòd non sit humana, neq; humanæ opis indiga. Quum dicit militamus, prælium & pugnā nos suscepisse indicat.

NAM arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Hoc est, non opes, non gloria, non eloquētia, non adulationes, non hypocrisis. talia enim carnalia sunt arma.

SED potentia Deo, ad destructionem munitiorum. Non dixit, Sed spiritualia, hoc enim omnino debuisset dicere, ut carnali opponeretur: sed Potentia, subindicans ita eorum res esse imbecilles & impotentes. Considera autem demissum in eo spiritum. non dixit enim, potentēs

pōtentes sumus, sed armā potentia Deo, hoc est, Deus ipsa potentia effecit. Quia enim ageban-
tur, & flagris cædebantur, infirmitatis autem hæc esse uidebantur, Deo (inquit) potentia sunt
hæc. Dei nanque robur per hæc maximè apparet: ille enim est qui operatur & bellum gerit,
etiamsi nos illis amiciamur. Vbi autem sunt potentia? ad demolitionem munitiorum. Ec-
quas munitiorum adfert?

Syllogismi Græ-
corum.

Actuum 17.

RATIOCINATIONES destruentes.] Græcorum sapientum syllogismos intelligit. fa-
ctum eorum demolimur hisce armis, uel quia ratiocinationes siue cogitationes eorum & ani-
mas deijcimus ex errore quo detentæ fuere, ac ueritati subijcimus. Areopagitæ enim ratio &
magna mens sublata est ab impietate, sufflexaq; est pietati. Animaduerte quòd non dixerit,
Machinas admouemus: sed, Statim demolimur, tollimus, cum uictoriæ facilitatem, tum armo-
rum potentiam indicans.

ET omnem alitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.] Perseuerat in tropo, ut
clarius quod uult significet. Si, inquit, altitudo fuerit, hoc est, turrita munitio, propugnaculum
resistens scientiæ Dei, adeoq; Euangelio, id quoq; demolimur.

ET in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.] Captiuitatis
uocabulum duo significat, & ex libertate lapsum, & perfectam captionem, qua quis ita capi-
tur, ne resistere unquam possit. Iuxta secundam igitur significationem nunc Paulus dixit, cap-
tiuantes. Non enim tatum, inquit, superiores sumus & uictoriam obtinemus de omni huma-
na cogitatione & intellectu, sed in captiuitatem etiam redigimus, quæ est cõsummatior uictoria.
Deinde quia captiuitatis uocabulum graue est, addit, ad obsequium Christi, hoc est, ad ser-
uitutem eos redigimus omni libertate preciosiorem, ab interitu nimirum ad salutem, à morte
ad uitam subijcientes eos Christo. Animo igitur reuolue eos qui magicæ artis libros Ephefi
combusserunt, & uidebis quomodo Paulus captiuos duxerit.

Actu. 19.

ET in promptu habentes ulcisci omnem inobedienciã cum impleta fuerit uestra obedi-
entia.] Hic illos etiam terruit. Vos, inquit, etiam expectamus, ut postquam per admonitionem
nostram correxerimus uos, & ab illis deficere fecerimus, tum illis solis incurabilibus relictis,
sektionem adferamus. In promptu igitur habemus pœnam & ultionem, ceterum cum uos illis
mixti sitis, prohibemur adhuc, ne & uos plaga contingat. Per hoc quod ait, Quum completa
fuerit obedientia uestra, tacitè indicat eos quidem obedire etiamnum, sed imperfectè. Hæc
autem interminatur, ut & hi & illi meliorem uitam induât, & ut neminem feriat aut lædat. So-
lent & in nobis cõsistere ratiocinationes & cogitationes, peioribus aduersum potiores luctan-
tibus. Deinde fiunt exaltationes uel altitudines, uictoriã uidelicet obtinentium, quando con-
tra diuinam cognitionem eriguntur in tantum, ut & intellectus locum occupent, quales sunt
qui dicuntur furores siue numinis afflatus. Est enim intellectus, simplex & ratiocinatione ua-
cans mentis actio, impetus uel ipsa opera melius ostendens quàm demonstratio. Sunt igitur
& in ijs quibus à dæmonibus imponitur, tales, ut uideatur, intellectus, quos Paulus, & si quis
alius Pauli spiritu ductus, captiuos ducit ad obedientiam Christi.

† Πάμπρ,
id est uidete
uel uidetis, sic
mox legunt,
id est iudicate
uel iudicatis.
Pseudapostolos
rum iactantia.

Q V A E ad faciem sunt † uidete.] Non solos deceptores perterrefacit, uerum etiam dece-
ptos increpat. Propterea dicit, ex ijs quæ apparent iudicate, si quis superbit, si quis locuples
est, si quis uirtutis imagine uestitus est.

S I quis confidit sibi Christi se esse, hoc rursus apud sese cogitet, quòd sicut ipse Christi est,
ita & nos.] Pseudapostoli gloriabantur & superbiebant quòd Christi essent, & quòd Christum
ipsi uiderint forsan. Apud se ipsum autem dixit, pro, non expectet nostram aduersus ipsum ob-
iurgationem, sed intelligat quòd secundum hoc ipsum quòd Christi est, nihil nobis sit superior:
non enim ille quidem Christi, ego uerò alterius cuiuspiam sum. Verum hoc se submittendo di-
xit, quando quidem deinceps in sequentibus ostendat quantum ipse excellat.

N A M si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate quam dedit mihi Dominus ad ædifi-
cationem, & non ad destructionem, non erubescam.] Non dixit, Est mihi potestas puniendi
& occidendi, quæ illis non est: sed longè submissius, amplius quiddam. Nec dixit, Si glori-
uerum si gloriatus fuero, hoc est, si gloriari uoluerò de potestate quam dedit mihi Dominus.
Rursus Deo totum adscribit. Accepimus autem eam potestatem à Deo, ut ad fidem ædifice-
mus, beneficia impertientes, non ut puniamus. Ecquid igitur dixisti cogitationes destruentes?
quoniam hoc ipsum maximè est ædificatio, marcida demoliri, obstaculaq; deijcere. Quomo-
do igitur ipsis interminaris, si non in destructionem accepisti potestatem? Præcipuè quidem
ad ædificationem accepi: sin quisquam fuerit incurabilis, demolitione utemur. Si igitur uo-
luerò, inquit, gloriari quòd Deus plus dederit mihi quiddam, ut potestatem habeam benefa-
ciendi in primis, & quando cogar, etiam puniendi: non erubescam, hoc est, non monstrabor
esse mendax aut arrogans.

V T non existimet tanquam terrere uos per epistolas. Quoniam quidem epistolæ inqui-
unt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis. Hoc
autem cogitet, qui eiusmodi est, quòd quales sumus sermone per epistolas absentes, tales etiã
sumus præsentibus opere.] Quod ait, est eiusmodi: Potuissim equidè gloriari, sed ne uidear ter-
rere uos per literas, quemadmodum dicunt calumniantes me: Quòd in epistolis grandis est, &
horrenda scribit: ubi autè aduenerit, despicibilis & contemptibilis est, arguiturq; nõ esse talis
qualis

A qualis est in scriptis suis. Verum agnoscat quisquis est qui talia dicit, quod nedum grandia interminamar, uerum etiam possumus presentes ad opus minas perducere & effectum.

NON enim audemus inferere aut comparare nos quibusdam qui seipsum commendant. Hic arrogantes esse ostendit illos, ac multa adeoq; magna de seipsis iactantes. Dicit igitur: Nos non audemus inferere nos ipsos, hoc est, connumerare, uel conferre, uel opponere nos ad quando quibusdam eorum qui se ipsi predicant.

SED ipsi in seipsis seipsum metientes, & comparantes seipsum sibiipsis, non intelligunt. Illi, inquit, non dignantur neque uolunt ad quempiam aliorum conferri, sed ipsi sibiipsis conferuntur, secumq; ipsi certant erga se mutuo, nec sentiunt quam sint ridiculi ita sese ostentantes. Vnusquisque enim seipsum meliorem iudicans, alterum deicit: sicq; omnes inter se mutuo improbi uidentur: quod quam ridiculum sit, ipsi non intelligunt.

Nemini se comparantium factus

NOS autem non in immensum gloriabimur. Illi enim fortasse gloriantes dicebant ac superbientes, Ad fines terrae accessimus, orbemq; terrarum ad Christum conuertimus. At nos non sic, inquit.

SED iuxta mensuram regulae qua nobis Deus partitus est mensuram, pertingendi usq; ad uos. Quemadmodum colonis uineam Deus diuidit, hunc ad modum nobis apostolis suis terrarum orbem segregauit. Secundum igitur mensuram regulae qua partitus est nobis Deus, gloriabimur. Qualis est autem mensura: ut perueniam ad uos. Postquam igitur haec nostra pars est, ad uos etiam usque gloriatur.

NON enim quasi non pertingentes ad uos, superextendimus nos: usque ad uos enim peruenimus in euangelio Christi. Verisimile est pseudapostolos uel sine praedicatione aliquosque profectos, ex nuda & simplici profectioe elatos esse, ac totum sibi imputare. Ait ergo Apostolus: Non tanquam ad uos non peruenimus, nos ipsos extendimus: peruenimus enim, non simpliciter, sed in Euangelio Christi: hoc est, non nudè & simpliciter peregrinantes ut illi, uerum etiam cum euangelij praedicatione.

NON in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem autem habentes crescente fide uestra in uobis, magnificari secundum regulam nostram, ad abundantiam, ut etiam in illa quae ultra uos sunt euangelium praedicemus, non in aliena regula, ut de his quae parata sunt gloriemur. Indicat illos apostolorum laboribus extolli & supra modum & mensuram gloriari, hoc est, ad ueri usque excessum, & in alienis laboribus. At nos non sic, sed ad uos usque peruenientes, ad uos usq; & fiducia & libertate nostra utimur. Speramus autem, in Deum uidelicet (non solet enim explicare Paulus) quod abunde uos docentes & augentes fidem uestram inueniamur, ut adeo magnificam ego in uobis. Tunc enim magnificat praceptor, quum res discipulorum creuerint, ac regula eius in medium processerit: hoc est, mensuram quam accepit, abunde promouerit. Quid igitur speramus: quod & ultra uos euangelium praedicabimus, ac forsan etiam gloriabimur propterea: siquidem commodabimus ipsis. Canonem autem ubique & mensuram uocat, tanquam orbis terrarum fabricator & architectus. Et ut indicet quod Dei sit uniuersum hoc, qui canonem dedit & mensuram, propterea infert:

QUI autem gloriatur, in Domino gloriatur. Habentes, inquit, talia tantaq; opera, non superbimus, neque nobis ipsis quicquam imputamus. enim uero Deo uniuersum, etiam ipsam ad quam peruenimus mensuram, tribuimus. Oportebat igitur & illos in hoc gloriari.

Hier. 9:

NON enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Dominus commendat. Non dixit, Nos sumus probati: sed, Quem Dominus commendat, hoc est, quem ueritas laboris & operis cum Dei gratia probatum ostendit.

CAPVT XI.

VTINAM sustineretis modicum me in insipientia mea, sed & sustinetis me. Proprias laudes ingressurus, multis usus est praecorrectionibus, defugiens id quod onerosum & molestum uidetur in suis commutatione. Huc autem eum necessitas perpulit, cum metueret ne in discipulorum damnum uergeret, si ipse uilipenderetur, pseudapostoli uero in precio haberentur. Quod enim ex multa necessitate & ob discipulorum suorum commodum huc peruenit, uel admodum insensatis planum esse queat. Qui enim priorum peccatorum meminit, a quibus per baptismum liberatus erat, qui etiam indignum sese apostolatus nomine censebat, quomodo citra necessitatem (quaso) de se ipse magna praedicaret. Ait ergo, Vtinam sustineretis me in paucis quibusdam ineipientem ac delirantem: imò uero & sustinetis, confido enim quod diligatis me, & omnia sustineatis.

Paulus cur se ipsum laudauerit. 1. Cor. 15.

AEMULOR enim uos Dei aemulatione. Non dixit Diligo, sed quod multo uehementius erat, zelus, id est, aemulor. Zelotypia enim inter ardenter amantes eandem rem nascitur. Deinde ne existiment quod humani cuiusquam ueluti pecuniarum aut gloriae causa eos aemuletur, infert, Dei zelo. Nam & Deus aemulari dicitur, quod nimia nos dilectione prosequatur, non quod aliquid inde commodi lucretur, sed ut nos feruet, ad se ipse nos colligit, ac sibiipse agglutinat. Huiusmodi igitur & meus erga uos zelus est, non ut inde quid mihi lucri accedat, uerum ut uos non perdamini corrumpamini ue.

DESPONDI enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Despodi uos, inquit, Christo: pro illo igitur aemulor, non pro meipso. Non enim ego sponsus aut maritus, sed sponsus ductor & paranymphus. Obserua autem quomodo non dixerit, Praceptor uester sum; propterea

propterea debetis me sustinere: uerum illos sponsæ loco posuit, seipsum autem pronubæ, siue nuptiarum conciliatricis uice collocat, honore ipsos afficiens. Nouum autem hic quiddam in ecclesia cōtingit. In mundo enim post nuptias non porro uirgines manēt: hic aut qui antehac uirgines non fuerunt, post nuptias hæc uirgines efficiuntur. Hac ratione uniuersa ecclesia uirgo est: ad omnes enim Paulus hæc loquitur, & maritos & uxores. Quales autem dotes adferens despondit: regnum cœlorum. Huius figura erant quæ sub Abrahamo contigerunt, quādo seruum misit ut ethnicam puellam in uxorem quæreret filio. Hic etiam Deus milit seruos suos

Gen. 24.

Psal. 44.

2. Cor. 5.

Gen. 3.

Decipere, mulierum est.

prophetas desponsaturos filio suo Christo ecclesiam, ueluti regium uatem Dauidem, cum dicit: Audi filia & uide, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui. Tum apostolos, ut Paulum, ubi ait: Christi nomine legatione fungimur. Præsens itaque tempus desponsationis est, futurū autem nuptiarum erit, cum clamor factus fuerit, Ecce sponsus.

TIMBO autem, ne sicut serpens Heuam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate quæ est in Christum.] Etsi enim interitus uester est, metus tamen meus est. Non apertè autem definit quòd corrupti sitis. Atqui corrupti fuerunt, uerum ambigè hoc posuit, Ne quo modo ut serpens Heuam deceptit. Nam & ille maiora promittèdo, deceptit. Hanc ad rationem pseudapostoli sese iactantes, magnaq; uobis quædam denarrantes, calliditate fraudeq; sua uobis imponunt. At perinde ut neque astutia serpentis, neque simplicitas Heuæ satis fuit ipsi ad ueniam, sic neque uobis hæc proderunt. Non dixit autem quòd Adam deceptus sit: ut ostendat, deceptionem mulierosam esse rem, uel ad mulierem pertinere. Non dixit autem, Ne decipiamini, uerum ne corrumpatur sensus uestri, in cœpto tropo seu metaphora perseueras. corruptio enim de uirginibus dicitur. Ne quo modo corrumpatur à simplicitate uestra, quam habetis in Christo, hoc est, ne decepti à simplicitate uestra, à Christo auellamini. Quidam autè sic: Ne transferamini à simplicitate fidei ad infidelium uehementiam, & in dicendo potestatè. hæc enim est maxima corruptio.

NAM si is qui uenit alium Iesum prædicauerit, quem non prædicauimus: aut spiritum aliū accipitis, quem non accepistis: aut euangelium aliud quod non recepistis, rectè sustineretis.] Quid ais diue Paule, Galatis scribens? Si quis euangelizauerit præterquam quod accepistis, anathema sit: nunc uerò dicis, Si alium Iesum prædicarent illi, rectè sustineretis. Audi igitur. Pseudapostoli fastu inturgescabant, quasi plus quàm alij, & maius quiddam quàm ueri apostoli adferrent. Quia igitur pleraque stulta nugabantur, externa sapientia utentes: Si, inquit, aliū prædicarent Christum prætermisum à nobis, quem prædicari conueniebat, rectè sustinuissetis. propter hoc enim adiecit, quem non prædicauimus. Sin eadem fidei capita sunt utrinque, in quo nobis illi superiores sunt. Obserua porro, non dixit, Si ueniens plus quiddam maius ue prædicat, etenim plus quiddam dixerunt magna quapiam autoritate, multaque uerborum elegantia: sed alium Iesum prædicat, quem non prædicauimus, ad quod non est necessaria sermonis elegantia. Aut spiritum alium accipitis, hoc est, si opulentiores uos faceret in spiritualibus donis, quod neque ipsum orationis uenere opus habet. Vel euangelium aliud: neque ad hoc opus habebat orationis cultu. Ubique autem indicat quòd non simpliciter si quid excellentius dicant, attendere oporteat: sed si quid dicant quòd accipiendum sit, & à nobis prætermisum sit. Obserua enim: Alium, inquit, Iesum, quem non prædicauimus: spiritum alium, què non accepistis: euangelium aliud, quod non accepistis. Quum itaq; eadem dicant, quid in eos inhiatis? Postquam ergo eadem prædicant ô Paule, quid eos prohibes? quia hypocrisis quadā utentes, alia introducunt dogmata.

EXISTIMO enim me nihil esse inferiorem ijs qui magni admodum sunt Apostoli.] Dein ceptus Petro ac illi similibus sese confert, hoc indicare in animo habens: Si me, inquit, plura norunt, & illo cæterisque maioribus apostolis plura norunt, ad absurdum argumentum perducent. Contemplare hic Pauli demissam, adeoq; non alta spirantem mentè. Existimo, inquit, id est puto, arbitror: & nihil enunciat & decernit. Non simpliciter autem dicit, reliquis apostolis, sed ijs qui sunt eximij apostoli, Petrum, Iacobum, Ioannem rectè innuens. Atq; hoc nunc de se dicit, quum necessitas ita postulet, cum alibi dicat: Non sum dignus uocari Apostolus.

Gal. 2.

1. Cor. 15.

NAM etsi imperitus sermone, sed non scientia.] Quandoquidem in hoc sibi placebant pseudapostoli, quòd non essent indocti, ostendit quòd non inficietur sese imperitum esse, atque hoc sibi gloriæ ducit. Nec dicit, Etiam si indoctus ac rudis sim, commune hoc mihi cum cæteris est apostolis, ne uideatur unà criminari ipsos: enim uerò exterioris sapientiæ causam tollit, æquè atque in priori epistola monstrauit eam non solùm esse inutilem, uerum gloriam potius crucis subruere ac deuastare. Sermone igitur & orationis cultu indoctus sum, scientia & cognitione haudquaquam. Per hoc autem clam innuit, quòd quo magis illi eloquentia gloriantur, eo cognitione Dei ipsos magis esse orbatos, & quatenus ad ipsam attinet, eos esse idiotas & indoctos.

1. Cor. 1.

SED in quauis re manifesti sumus in omnibus erga uos.] Non què admodum pseudapostoli, aliud sumus, & aliud apparemus: uerum in omnibus quæ facimus & dicimus, manifesti sumus erga uos. neque ulla est in nobis duplicitas uel hypocrisis, ut in illis qui sola pietatis persona sunt amicti, deterrima quæque patrantes.

NVM peccatum feci, meipsum humilians ut uos exaltaremini, quòd gratis Euangelium Dei

Dei

A Dei prædicaui uobis: In hoc, inquit, peccaui, & propterea est cur me ad iudicem uocetis, at tollaminiq; aduersum me, quoniam dei eci meipsum, mendicans & famem patiens, ut uos exaltaremini, hoc est, ad fidem ædificaremini: Non enim offendebantur deinceps, quæ maxima est eorum accusatio: neq; aliter ædificabantur, nisi ipse fame premeretur. Quia uerò calumniabantur eum quòd præsens abiectus esset, absens uerò grandiloquẽtia tumeat atque grauis sit, ceu super hac re apologiam texens, ferit eos. Vilis quidem factus sum & abiectus, cæterum uos inde exaltamini.

ALIAS ecclesias expoliaui accipiens stipendia ad ministerium uestrum. Atqui potuisset dicere, Ex manuum mearum labore uixi & manducaui. atqui asperiores orationem faciens, Ab alijs, inquit, accepi, idq; cum in uestri essem ministerio. Expoliaui siue prædatus sum, pro Nudauit dixit, & pauperes eos feci. Macedones intelligit, qui tametsi pauperrimi essent, me tamen habebant le atterentẽ. Atqui superfluis non indigebam, uerum necessarijs duntaxat sumptibus. Stipendium enim accepi: at uos ne necessarias quidem has impensas communicastis: quæ maxima est accusatio. Peius est porro quòd ad ministerium quo uobis inferuij, nihil deditis. prædicans enim ac laborans quæ facerent ad salutem uestram, ab alijs alebar.

ET cum essem apud uos & egerem, nulli onerosus fui. Triplex est accusatio: prior, quòd apud uos præsens fuerim: altera, quòd uobis inferuiens: tertia, quòd rebus necessarijs destitutus, non fui in aliquo habitus numero. Non solùm enim ex alio loco mihi non misistis quicquã, quod Macedones faciebant, sed ne præsentem quidem alebatis. Quòd ait, Nulli onerosus fui, est pro, Non grauauit quenquam. Indicat autem eos segniter adeoque cum grauamine ac torpore contribuere. Nonnulli uerbum *ἐπιβάρυνον*, pro Non posthabui, uel segnior ad prædicationem fui, accipiunt: sed à me quidem, quæcunque ad salutem uestram necessaria erant, perficiebantur. Cum enim rerũ essem indigus necessariarum apud uos demorans, non petij tamen quicquam: neque patientiam meam dissolui torpentior redditus, si quidem torporem nihilominus excussi, abegi que.

NAM quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui uenerunt à Macedonia. Ad æmulationem eos inuitat, ut magis ad elemosynam excitet: ut ne uincantur à Macedonibus in elemosyna, uicti ab ijs iam antea in subministracione alimonie quã ipse alendus erat. Cũ dicit, Quod mihi deerat, indicat sese nihil accepisse ultra necessarium usum. Philippenses autem fuerunt qui aluerunt ipsum.

ET in omnibus sine onere me uobis seruaui & seruabo. Indicat quòd onus adeoq; grauius arbitrabantur, alimenta ei suppeditare. Pulchrè autem addidit, seruabo. Ne enim existimetis, inquit, quòd hæc dixerim ut in postterum accipiam à uobis: seruaui enim me, ac seruabo deinceps citra grauamen. Quod ingens eorum, quòd illis hic ab apostolo infligitur, uulnus est: quandoquidem porro eis non confidat, sed desperauerit semel quicquam ab eis accipere.

EST ueritas Christi in me, quoniam gloriatio hæc non infringetur in me in regionibus Achaie. Ut ne existiment quòd propterea dixerit, seruabo meipsum, ut magis eos ad impertendum attraheret, ait: Secundum ueritatẽ quæ est in Christo Iesu, dico quòd non sim quicquam accepturus. Ne autem quispiam arbitretur eum ex dolore uel iracundia hæc dicere, gloriacionem rem ipsam appellat. Gratis enim citraq; sumptum aliorum prædicare Euangelium, gloria ei magna erat, ceu ultra Christi terminos per Christum proflienti. Quòd ait, Non infringetur, siue obstruetur, metaphora est ab annibus desumpta. Tanquam enim hæc ei fama per omnes terrarum fines flueret, dicit: Non obturabitur, bonum isthuc uerbum & celebre per hoc quòd aliquid posthac accipiam. Quòd ait in climatibus Achaie, ferientis est. Si enim hæc est gloria, hæc ubique custodienda erat. sin in ipsis solis conseruat, perspicuum est quòd ipsi non sint sana mente præditi, reliquorum instar.

QVARE quia non diligo uos. Deus nouit. Prolaturus causam cur non acceperit ab ipsis, propter pseudapostolos nimirum, prius tollit quod suspicabantur Corinthij: quia, ut uidetur, quòd nos non diligis, non accipis. Imò potius, inquit, quia uos diligo, & nolo uos lædere, ut qui facile scandalum patiamini. Verum adeò perspicuè non dicit, ut ne imbecillitatem eorum arguat. Ad aliam autem causam sermonem conuertit.

QVOD autem facio, & faciam: ut amputem occasionem eorum, qui uolunt occasionem, ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Hic manifestissimè causam explicat, cur non acceperit. Postquam enim conspexit satanas, quòd seculi huius studiosi homines maximè captantur per hoc quòd doctores nihil accipiant, docuit etiã uanos ac mendaces istos apostolos eam rem simulare. Neque enim hoc reuera faciebant, etiamsi diuites essent, uerum etiamsi uiderentur nihil accipere, accipiebant tamen. Propterea nõ dixit, ut in quo gnauiter agunt, sed in quo gloriantur: quod & arrogantie est indicium. Quocirca apostolus hisce conspectis decreuit apud sese, ne quicquam acciperet à quoquam: idq; quum paupertate grauaretur: ut reseret anam & occasionem illorum, nec locum habeant carpendi eum. Quanquam hæc non erat reprehensio: siquidem lex Christi erat. Attamen quia ueluti imbecilles Corinthij facile scandalo succumbebant, seipsum custodiuit. Ac deinceps in alijs inferiores inuenti pseudapostoli, neque in hoc excellebant. Nisi quis dicat quòd in hoc etiam inferiores sint iudicati, quòd diuitijs affluentes ipsi nihil acciperent, cum diuus Paulus ne in multa quidem egestate quicquam acceperit:

Theophylact.

S

ceperit:

† d. l. u. u. u.

Paulus nemini onerosus.

Philip. 4.

Cur Paulus etiam egens à Corinthijs nihil accepit.

ceperit: & quod neque hoc ferè perficiebant, sed fūco quodam simulabant. Apostolus autem reuera perficiebat.

NAM eiusmodi pseudapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.] Ecquid ais: Christum annunciantes, nec aliud Euangelium introducentes, ut supra commemorasti, pseudapostoli nunc sunt: Næ, inquit, propter hoc ipsum sunt pseudapostoli. simulant enim hæc, clanculum impias traditiones subinferentes. Operarij autem dolosi, quatenus operari quidem uidentur: reuellunt autem plantata, ac figuram tantum habent apostolorum, & pellem ouium, lupi autem sunt reuera.

ANGELUS LUCIS. **NEC** illud mirum. Ipse nanque satanas transfiguratur se in angelum lucis.] Quando doctor eorum satanas omnia audet, nihil mirum hos imitari ipsum. Angelum autem lucis dicit, fiduciam habentem, atque adeo uero lumini astantem angelum (quoniam & Deus lumen est) per hoc quod & ipse lumen sit. Transformatur autem in talem satanas, uerum huiusmodi non est. Hunc ad modum illi figuram tantum apostolorum gerunt, non ipsam efficaciam. Discimus hinc quod in speciem & ostentationem aliquid facere, maxime sit diabolicum.

NON est ergo magnum, si & ministri eius transfigurentur ueluti ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.] Hoc est, ceu ministri euangelij iustitiæ habentis, uel quod iustorum uirorum gloriam sibiipsis circumponunt. Sed non estugient tandem: secundum enim opera eorum, erit etiam finis eorum, id est, prauus. Itaque ab operibus ipsorum agnosceamus ipsos: finem enim respondentem operibus habebunt.

ITERUM dico, ne quis putet me insipientem esse. Alioquin uel tanquam insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier.] Etenim multa iam mitigatione usus erat: non contentus tamen sum, inquit, commemoratis, uerum iterum dico, ne quis me existimet insipientem esse. Gloriarum enim simpliciter, insipientia est: ego autem non tanquam insipiens hoc facio, sed coactus. Attamen si mihi non ignoscitis, sed omnino insipientem me iudicatis, etiamsi necessitate adactus glorier, nõ detrecto hoc. Proinde tanquam insipientem sustinete me loquentem, ut & ego, hoc est perinde ac illi, glorier, idq; modicum quid.

QUAE loquor, non loquor secundum Dominum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriationis.] Quæ loquor, inquit, non sunt secundum Dominum, nempe si uerba spectes: scopus uero uerborum est admodum secundum Dominum. Non dixit autem, in insipientia, sed ueluti in insipientia: uidetur enim insipientia esse gloriatio mea: non est autem reuera. Ut autem non existimes quod ubique in insipientia loquatur, & non secundum Dominum, ait, in hac parte gloriationis, non in alijs quibusdam.

QUONIAM multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.] Hoc est, ab externis, à generis splendore, à circumcissione, à maioribus Hebræis. Hoc enim est quod non secundum Dominum loquitur, cum ob huiusmodi gloriatur. quæ enim commoditas, Hebræum esse: Non igitur tanquam uirtutem hæc pono, uerum enim uero quia illi in huiusmodi se iactant, & inde ego comparisonem facere cogor.

LIBENTER enim sustinetis insipientes, cū sitis ipsi sapientes.] Vos, inquit cogitis me talia dicere, nisi enim & uos suscepissetis illos, & ex hoc uideré uos lædi, huc ego sanè non essem progressus. Insipientes aut uocat, qui propter carnalia gloriantur. Si enim de spiritualibus gloriari, stultitiæ signum: quanto dementius erit gloriari de his quæ planè nihil sunt: Quod ait, sapientes cum sitis, uidetur iucundum & plausibile, uerum multo magis accusationis habet uehementiam & exaggerationem: quoniam scientes, inquit, peccatis. Nam si insipientes delinqueretis, uenia eratis digni.

SUSTINETIS enim si quis uos in seruitutem redigit.] Obserua quantam seruitutem Corinthiorum accuset, & quod supra modum pseudapostolis se submitterent.

SI quis deuorat, si quis accipit.] Viden quod indicet eos accipere etiam cum hyperbole: deuorare enim hoc significat. Itaq; & quod supra dixit, ut in quo gloriatur, bene dixit. Gloriationem enim solam, non ueritatem habebant, simulantes se non accipere.

SI quis extollitur.] Hoc est, si quis in potestatem suam uos redigit, & contra uos attollitur. Neque enim mites domini sunt, sed onerosi & molesti.

SI quis uos in faciem cædit, iuxta contumeliam loquor.] Vidisti intensam & uehementem iniuriam atq; arrogantiam: tanquam enim mancipijs abutebantur Corinthijs. Hæc autem dicit non quod in faciem uerberarentur, uerum quod non minora paterentur ijs qui in faciem ferirentur. Ad contumeliam enim uestram hoc dixi. Etenim quid hoc turpius esse queat, quãdo & pecunias resq; uestras, & libertatè & honorè auferentes, tanquã seruos uos tractauerint?

TANQVAM nos infirmi fuerimus.] Cuius rei gratia, inquit, ipsos sustinetis? Nū quia nos infirmi sumus, nec possumus hac ratione uobiscum agere? quod minimè gentium est. Et nos, inquit, possumus adeo contumeliose in uos inuadere, sed nolumus omnino. Vniuersam igitur causam arrogantiæ illorum, istorum seruituti adscribit. Vos enim seruili admodum more ipsis sufflexi & subiecti estis, illiusq; iniuriæ autores estis, nobisq; præsentiu sermonu occasio.

IMO in quo quis audet (per insipientiam dico) audeo & ego.] Vide rursum quod audaciæ & insipientiam rem ipsam appellat, ac quod tantum non dicat, ui quadam huc peruenio & pertrahor. Quantas autem & alias præcorrectiones præstruxit ante hæc: Hæc autem facit erudiens

A diens nos ut citra necessitatem ad huiusmodi sermones non descendamus. Ait ergo: In qua re cunque audet quispiam gloriari, audeo & ego. hæc enim subaudienda sunt. Deinde recenset propter quæ gloriantur.

HEBRÆI sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: semen Abrahamæ sunt, & ego. Quia nõ omnes Hebræi Israelitæ fuerunt, & Moabitæ & Ammonitæ seiplos Hebræos faciebant, propterea generis splendorem tollens, intulit: Semen Abrahami sunt, & ego, Isaac ipsum innuens.

MINISTRI Christi sunt (ut minus sapiens loquor) plus ego. Aiant quidam quod non per comparationem debuerit efferre sermonem, sed simpliciter negare eos esse ministros Christi. Illis respõdemus, quod una hoc dictione significauerit, cum dixit eos esse pseudapostolos. Iam nunc uerò per comparationem in uerba facere exorsus, per res demonstrationem adducit, datq; intelligere auditori, se quidem esse Christi ministrum, illos uerò minime. Ait ergo quod etsi Christi ministri sunt, ea tamen ratione, ut ego in hoc ministerio eos antecellam. Ac rursus insipientiam appellat rem ipsam, ob insignem suam demissionem, adeoq; humilitatis pelagus.

IN laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundantius. Connumerat ea quæ apostolos exprimât, & signis prætermisis, à tentationibus principium ducit. Labores (inquit) plures ego recipio, locum ex loco permutans, ac docens noctu & interdiu, præterea manibus laborans, imò quod maius est, uerbera sustinens, eaq; supra modum: tum quod adhuc maius est, cum uerberibus etiã carceribus mancipatus. Quod supra modum ait, & abundantius, ad comparationem pertinent, ueluti ad pseudapostolos facta, ueruntamen per suppositionem ueluti dicat, Esto quod laborent illi, at ego excellentius laboro. Nonnulli autem hæc non per comparationem dicta esse existimant, sed simpliciter significare abundantiam, copiam, & intensiorem.

IN mortibus frequenter. Non solum ex proposito moriens, uerum ad mortifera planè pericula traditus.

A Iudæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Quamobrem una minus? lex erat, eum qui plures quam quadraginta plagas uel ictus uapulando accepisset, ignominiosum esse. Decreuerant itaq; dempta una quadraginta dare, hoc est, trigintanouem: ut etiã si in ipso uerberandi impetu uerberans excederet, quadraginta det, nec fiat ita ignominiosus uel infamis qui cæditur, quippe qui intra decretum numerum cæsus sit.

TER uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum. Non omnia quæ passus est diuus Paulus, nobis conscripsit Lucas. Vides enim multa quæ hic enumerata sunt, illum prætermisisse. Non enim ipse ad ostentationem conscripsit historiam.

B **TER** naufragium feci, nocte & die in profundo egi, in itineribus sæpe. Ecquid ad Euangelium, quod naufragium sit passus? propter Euangelium enim longas & transmarinas uias emensus, naufragium feci. Noctu autem & interdiu in profundo natauit. Nonnulli adserunt, quod in quodam puteo post periculum apud Lystrios, cui nomẽ Bytho (quæ uox Latinis profunditatem significat) abditus fuerit: & nunc de illo dicat.

PERICVLIS fluuiorum. Nam & amnes trajcere adigebatur.

PERICVLIS latronum, periculis ex genere, periculis ex gētibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari. Vbiq; Satanas bellum gerebat aduersus Apostolum, & Deus certaminis præmia proponebat. Etenim latrones excitabatur & ab incredulis & genere mihi iuctis, uel cognatis Iudæis, q; acrius impugnabatur me, in bestias planè efferati, ppter zelotypiã. Proinde in urbe periculorum expers erat: hæc quaquã. Reliquum est ergo ut in solitudine securus esset, uerum neq; illic tutus fuit: ac si terrã fugisset, maris eum pericula excipiebant.

PERICVLIS in falsis fratribus. Hæc rursus alia species est tentationis, omnium maximè dolore incutiens & gignens, à falsis & simulatis insidias pati: quod & Dauid lugebat: Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu uerò homo unanimes. Et iterum: Homo pacis meæ.

IN labore & ærumna, in uigilijs crebrò. Non satis fuerunt externi angores, uerum ipse etiam se proprijs laboribus ac defatigationibus atq; excubijs attriuit.

IN ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt. Hæc patiens, neq; necessaria quidem alimonia abundabat, neq; amictu orbis terrarum doctor, uerum nudus cerat, ac fame laborans pugnabat. Atqui plura prætermisit. hoc enim est quod ait, Præter illa quæ extrinsecus sunt, imò ne ea quidem quorum meminit, speciatim expressit, sed quorum numerus facillè potuit comprehendere, denumerauit. Quinquies & ter dicens, eorum quæ non facillè sub numerum cadunt, indefinitè meminit. Abundanter enim, inquit, & excellenter, & sæpe. Vide autem quomodo tot tantaq; denumerans aduersa, nõ dixerit quòtnam ad Christum conuerterit, simul quidem moderata spirans, simul uerò docens, quod etiamsi nihil amplius obueniat laboribus defesso, sic quoq; plenam mercedem sit accepturus.

ET instantia mea quotidiana. Instantia, siue conspiratio, hoc est furibundus insultus & inuasio, qua quotidie pleriq; omnes uel publico consilio me adoriuntur.

SOLICITUDO omnium ecclesiarum. Hæc est summa omnium. Si enim qui unius tantummodo curam domus gerit, famulos tamè & æconomos cum habeat, ne respirare quidem possit: quid sustinere ac pati uerisimile est animam unam, quæ præter tot pericula pro uniuerso orbe est sollicita, proq; fidelium mentibus angitur?

Theophylact.

S 2 QVIS

Apostolorum
indicia.

Deut. 25.

Act. 16.

Act. 14.

Psal. 54.

Psal. 40.

QVIS infirmatur, & ego non infirmor? Vt ne quis dicat, Sollicitus quidem est, uerum sic simpliciter: speciem etiam sollicitudinis indicat. Nec dixit, particeps sum calamitatis uel mœroris, ceterum uelut ipse infirmus sim, perinde affectus sum. Intelliges autem hic languorem etiam corporalem, seu quo corpus corripitur, potissimum uero quo animus etiam languet. Quod ait, quis, accipiendum est quasi dicat, siue magnus sis & potens, siue uilis & tenuis.

QVIS scandalizatur, & ego non uror? Animaduerte qui doloris magnitudinē expresserit. Incendor inquit, ardeo, & uror. Alia quidē patiens lætabatur, quippe qui sciret sese pro Domino suo talia ferre: hic uero sauciabatur anima. Proinde quempiã scãdalizari, quantũcunq; etiã abiectum, maiori mœrore eum afficiebat. Dauid porrò uates ille diuinus dicit quomodo intelligendũ sit *πρωδμου*, id est, ignesco uel incendor, nēpe pro scandalizor. Vt enim dixit, Quis infirmatur, & ego non infirmor? sic ait, Et si scandalizatur aliquis, ego quoq; scandalizari uideor, doq; operam, ut languorem & affectionem istam curem, eiq; medear, haud secus atq; meum foret isthuc malum. Vbi uero Dauid ait: Dum superbit impius, incenditur pauper, hoc est, scandalizatur pauper, mente sua repetens indignè ditescentes, adeoq; se super ceteros tollentes.

Psal. 19.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Infirmitatem persecutiones uocat. in tolerantia enim inedia, uerberum, naufragij, aliorumq; malorum patientia, humana imbecillitas demonstratur. Signorum autem hic non meminit, siquidem ea fuerunt donum Dei. Hæc aut quæ hic commemorat, unã cum Dei potentia ipsius etiã patientiã cõmonstrabant.

Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quod non mentiar. Cum in prioribus nullam fecerit confirmationem eorum quæ diceret, hic confirmat, stabilit, & fidem conciliat suis uerbis, forsã quia uetustius erat & obscurius quod dicturus erat, cetera uero ipsis erant cognita, ut sollicitudo, idq; genus alia.

Act. 9.

Damasclus præpositus gentis Aretæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. Obserua quantum fuerit bellum, si ipsius Pauli nomine princeps præsidio firmabat urbem, excubiasq; agebat. Haudquaquam autem se ita gessisset gentis præfectas, ni diui Pauli zelus omnia incendisset. Fuit autem locer Herodis regis Aretas.

Aretes focer Herodis.

Math. 10.

Ut in periculis nos gerere debeamus.

Philip. 1.

AC per fenestram in sporta demissus sum per murũ, & effugi manus eius. Effugit, herilem legem complens: nam & Dominus migrauit de loco in locum. Non enim opus est ut nos ipsos in tentationes iniiciamus. Vbi uero huiusmodi sunt mala, è quib. euadere nõ possis, solo Deo indiges, & ab illo duntaxat cum inquirenda, tũ expectanda est redẽptio ac liberatio. Sin tolerabilis ac moderata fuerit tentatio, à nobis quicquã etiam cogitandum quidem est, uerum & hoc totum Deo tribuẽdum uenit, quemadmodum & iste in sporta effugit. Etiam si enim cum Christo esse expeteret, salutem tamen mortalium amabat, seq; ipsum uerbi ministerio seruabat.

CAPVT XII.

GLORIARI sanè nõ expedit mihi. Veniam enim ad uisiones & reuelationes Domini. Quia ad aliam gloriationis formam transit, quæ ipsum splendidum faciebat, reuelationum uim inquit, Non conducit, inquit, mihi hoc, ut ne me ad arrogantiam attollat. Quid uerò? Num si non dicas, & apud te retineas, tu ea tamen nosti? Sed non æquè efferimur, cum ipsi ea apud nos cognoscimus, atq; cum ad alios proferimus, & manifestamus. Hæc autem non dixit ceu ipse sit passurus aliquid huiusmodi, sed ut erudiat nos quod huiusmodi apud nos ipsi contineamus. Quin & alia ratione nõ conducit, ne quis me maiorem arbitretur quàm uideat, quod & in progressũ dicit. Pseudapostoli autem etiam si nihil haberent, loquebantur tanè de huiusmodi. Hic uero noster, etiam si minimè paucas uisiones Domini & reuelationes haberet, unius tñ solũ modo meminit, eiusq; inuitus. Noueris porrò quod reuelatio sit maius quippiã quũ uisio: hæc enim tantũ modo uidere dat: reuelatio uerò altius quiddã quàm uidetur, denudat.

Reuelatio maius quàm uisio.

SCIO hominem in Christo ante a mos quatuordecim. Neq; omnium reuelationum meminit: onerosus enim fuisset, cum multæ essent, neq; omneis reticet. At cum non de omnibus uerba faciat, de una sola loquitur, ut indicet quod & huius inuoluntarius mentionem fecerit. In Christo autem adiecit, ut ne dicant pseudapostoli quod à dæmone sit perinde raptus atque Simon. Neq; præter rationem tempus est adiunctum, ut discas quod cum quatuordecim annos conticuisset, ne nunc protulisset quidem, ni necessitate compulsus fuisset. Ac si talibus ante quatuordecim annos dignatus est, quantus nunc est post tot tantaq; pro Christo pericula?

Tertium cœlũ.

Gen. 1.

Psal. 49.

Gen. 27.

SIUE in corpore, nescio: siue extra corpus, nescio, Deus nouit: raptum huiusmodi usq; ad tertium cœlum. Vide insignem animi modestiam, qui fateatur se ignorare, in corpore ne iuerit, an extra corpus, quando raptus est. Tertium autem cœlum sic intelligas licet. Scriptura æreũ uocat cœlum, ut uolucres cœli, & ros cœli. En illud unum cœlum. Nouit eadem cœlum esse firmamentum, uocauit enim firmamentum cœlum. en cœlum isthuc secundum. Perspectum etiam habet principiò creatum cum terra cœlum. ecce tertium tibi cœlum.

Paradisus.

Verba tacẽda,

& arcana.

ET scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quod raptus sit in paradysum, & audiuerit arcana uerba, quæ non licet homini loqui. A tertio cœlo, inquit, rursus raptus est in paradysum. Raptus est ergo, ut ne in hoc quidē reliquis apostolis qui Christo conuixerant, sit inferior. In paradysum autem, quoniam celebre loci huius nomen prædicabatur, unde & eundem Dominus latroni promisit. Verba porrò arcana aut ineffabilia audiuit, quæ humana tantum spirantibus, nihilq; spirituale habentibus, nõ licet eloqui. Hinc liquidò apparet, Pauli reuelationẽ, quæ ita nominatur & circũfertur, diuo Paulo mendaciter

Alter & falsò esse inscriptam. Quomodo enim non esset falsò inscripta, si haud dicenda illa fuerunt: Vt igitur dictum est, tertium cœlum, alius locus est. secundum uerò anagogen fortè idem est, fortè non idem. Cum enim multa sint anagogicè dicenda, pauca dicemus & captu faciliora. Est enim primū cœlum, finis ac terminus ethicæ, atq; ad eò morum scientiæ, quando mores suos quisquā rectè formauerit. Deinde naturalis philosophia est cœlum alterum, cum scientiā aliquis de uniuersi cognitione quatenus fieri potest circumscripserit. Deinde tertium cœlum Theologica est scientia, quando quispiam comprehensibilem ipsi interim mensuram, qua res diuinæ & humanam cognitionem excedentes percipiuntur, adeptus fuerit per contemplationem. Paulus igitur in ijs quæ circa trinitatē sunt locis fuit: raptus omnino, hoc est, omnes creaturas exuperans: neq; in corpore constitutus, non enim operabatur per corporeos sensus: neque extra corpus, torpuisset enim ei intellectus etiam. In diuinis enim rebus torpet & ociosus est omnis intellectus humanus raptò homine & à Deo comprehenso, ut ab illo agatur, & operationem accipiat. Quia uerò & in Theologiæ locis ascensiones sunt, propterea rursus rapitur in paradysum, arcanioribus diuinitatis sacramentis immorās: quæ incognita cum sint, nec ullis uerbis exprimi possint, nisi humanam quisquam utilitatem transcendērit, nunquā intellexerit.

Cœlorum descriptio moralis.

Pauli raptus.

DE tali gloriabor. Ipsius uide summam de missionem & humilitatem, quomodo tanquam de alio hæc recenset: de tali enim (inquit) gloriabor. Atenim cuius gratia, si alius raptus est tu gloriaris: manifestum est itaq; quòd ista de seipso dicat.

DE meipso autem non gloriabor. Vel quia cum necessitas non sit, nihil tale simpliciter ac temerè dicam: uel opacam reddens orationem, ut fieri potest, hæc dicit.

NISI in infirmitatibus meis. Hoc est, in afflictionibus & persecutionibus.

NAM si uoluerò gloriari, non ero insipiens, ueritatem enim dicam. Quomodo, cum antea dixisset insipientiam esse gloriari, nunc ait, Non ero insipiens si gloriabor: non gloriationis causa se non insipientem fore dixit, cæterum quia nō mentiretur, intulit enim, Veritatem enim dicam. Vt ueriloquus ergo, non ero insipiens.

PARCO autē, ne quo modo de me existimet supra id quod uidet in me, uel audit aliquid ex me. Hæc est certissimā causa ne homines ex ipso Deum faciant, ob eam enim rem semper tacuit, ac si quando coactus sit dicere quicquā, opacabat tamen, ac ueluti umbra quadam contegebat, ut ne maiorem de ipso homines opinionem sumant. Non enim dixit, Ne quis dicat de me uerum: ne quiddam maius quā par sit, de me cogitet, mentēue concipiat. Nam si tauros ei inactare uoluerunt propter signa, quid non fecissent si etiam reuelationes manifestasset?

Act. 14.

BET ne excellentia reuelationum extollar, datus est mihi stimulus per carnem, angelus Satanæ ut me colaphizet, ut ne extollar. Angelum Satanæ & stimulum, nonnulli cephalalgiam, hoc est capitis dolorem, intellexerunt, à diabolo factum. At absit hoc: non enim Pauli corpus diabolo traditum est: quādoquidem Paulus ipsi potius præcipiebat, finesq; certos præscribebat, quando fornicantem tradebat ei ad interitum carnis, nec eam ille metam prætergredebatur. Quid igitur est Satanæ? Contrapositus uel aduersarius dicitur hebræa uoce. Angeli igitur Satanæ, sunt omnes aduersarij, Alexander ærarius, Hymenæus & Philetus, omnesq; tribulantes ipsum & affligentes, ceu Satanæ opera perficientes. Dicit igitur, quòd non permiserit Deus prædicationem meam absque periculis & laboribus procedere, ut ne extollar multis reuelationibus donatus. Quis autē non dixit, angeli Satanæ dati sunt mihi: sed, Angelus? Quia in eo loco unusquispiam inueniebatur renitens fortasse, populumq; concitans, quem ducem reliqui sequebantur. Vel quòd melius, ipsam rem adeoq; renisum aduersus uerbi prædicationem, periculorum que oblationem, angelum Satanæ nominauit. A quo autem datus est? A Deo (inquit) permissus est, hoc enim est quod ait, Datus est: & non ut semel mihi colaphos infligat, sed semper. Quòd uerò ait, Vt ne extollar, quidam intellexerunt pro eo quod est, ut ne ab hominibus glorificer. Sed id Paulus hic non dicit, etiam si suprā dixerit: sed illud ipsum, ut ne uanè gloriolus sim: homo enim & ipse erat.

1. Cor. 5.

2. Tim. 4. & 2.

SUPER hoc ter Dominū rogauit, ut discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Ter, pro sæpe, implorauit diuinam opem. Atque hoc etiam humilitatis est, fateri quòd non ferret insidias ac afflictiones, & propterea Dominū precaretur. Dixit igitur mihi: Satis est quòd talem tibi gratiam dederim, ut mortuos excites, ut uirtutes adeoq; potentias omnes perficias. Ne quæras igitur ut citra periculum prædicatio tibi progrediatur, superuacaneum enim hoc est. Quòd autem satis est tibi, accepisti.

VIRTUS enim mea in infirmitate perficitur. Hoc est, fortasse doles ô Paule, ne uideatur imbecillitatis esse meæ, quòd multi uerbo meo insidias machinentur, confide. Tum enim perfectus potius uidetur potentia meā, quando persecutionē passi, persecutores uiceritis. Vide autē quomodo dixerit ipse obnoxium sese ac traditum tentationibus, ut ne extollatur. Deus autem aliam rationem reddidit huius, nimirum quòd potentia ipsius tum uideatur cōsummationem habere, quando in infirmitate, hoc est, in persecutionibus & periculis ipsi fuerint.

LIBENTISSIME igitur gloriabor potius in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Quia (inquit) hæc audiui, quòd potentia Dei in infirmitate perficitur, deinceps gloriabor in infirmitatibus meis. Hæ enim quo plures fuerint, hoc uberiorem Dei potentiam mihi conciliant. Ne igitur arbitremini quòd ueluti contristatus de stimulo uerba fecerim, sed

Theophylact.

S 3 lætitiæ

lætitia potius ac gloriationis causa, tanquam Dei potentiam maiorem attrahens ad meipsum & per adfectionum intensionem ac uehementiam.

Infirmities Pauli. PROPTER quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.] Expetebam, inquit, hominis instar liberari à periculis & rebus aduersis, sed postquã audiui quæ audiui, glorior hinc & oblector, hoc est, exhilaror gratias agens, oblectatione capio in infirmitatibus. Deinde ne existimes febrim, aut id genus morbos alios, interpretatur ipse tibi has infirmitates, indicans quòd sint contumeliæ, & alia quædã, infirmitates istæ. Hæc porro pseudapostolos etiã pudescunt in diuersis rebus gloriantes, tanquam Deo contrarios. Discipulos iuxta consolatur, ne doctoris sui nomine erubescant, sed potius decori hoc sibi adscribant, ceu Deo hoc uolente, pro Christi gloria instantibus periculis.

QVANDO enim infirmor, tum potes sum.] Quid miraris quòd Dei potentia tum demonstreretur, nam & ego tum potens sum, largiore Dei gratia mihi presente & assistente: ueluti cum *Act. 14.* carceri inclusus est, carceris custodẽ in Christi fide instituit: quãdo naufragiũ passus, est insularum barbaros attonitos reddidit: quãdo ad iudicẽ astitit uinctus, accusatoribus superior factus est. *Act. 28.* Quãdo igitur imbecillis erat, hoc est, in periculis cõstitutus, tũ potes, fortis & iplendens erat. *Act. 25. & 26.*

FACTVS sum insipiens, gloriando: uos me coegistis.] Rursus defensionem parat gloriationi suæ. Et suprã quidẽ, Tanquã insipientẽ, dixit, suscipite me, ac tanquã in insipientia: nunc aut particula Tanquã ablata, insipientem seipsum uocat. Cum enim confirmauit quæ uoluit, confidenter posthac talem defectum iactantiaẽ condemnat, erudiens nos abunde, ne unquam nos non presente necessitate gloriemur: quando quidẽ cum ita necessitas adesset, insipientem sese Saulus appellet. Vos enim, inquit, me coegistis, hoc est, uestræ salutis ratione habens hæc dixi, cum uiderem quòd pseudapostoli per iactantiam suam corrumperent uos, cum ipsis aduertitis animum. Hanc ob rem uolui & ipse dicere quiddam de meipso, uestri in gratiam.

EGO enim debebam à uobis commendari.] Par erat, inquit, ut uos mea potius recensereis deprecaretis quæ. Quia uerò id nõ fecistis, sed illis adhibuistis mentẽ ad corruptionem usque uestri, commemorauit hæc salutis uestræ causa.

Sup. 11. Paulus etiã maioribus apostolis par. NIHIL enim inferior fui ijs qui supra modũ sunt apostoli, etsi nihil sim.] Suprã cũ ambiguitate nõnulla dixit, Existimo enim me nulla in re inferiore fuisse: nũc aut maiori cũ autoritate dixit, Nihil inferior sum, hoc est, non sum postferendus magnis illis apostolis, Petro & Petro similibus. Verũtamẽ haud hic est oblitus propriaẽ cõsuetudinis, unde subintulit, Etsi nihil sum. Ani maduerte aut hic prudẽtia Pauli. Nõ enim porro pseudapostolis seipsum cõfert, sed nulla illorũ habita ratione, apostolis se etiã parẽ statuit, quippe qui illos omnes facile superet. Simul aut in-

nuit, quod apostolos contumeliã afficiat Corinthijs, quã apostolis parẽ, pseudapostolis postponant.

SIGNA quidem apostoli facta sunt in uobis.] Ego quidem, inquit, nihil sum: uerũ tu nihil isthuc contuearis: sed eò defigas oculos, quòd nihil omiserim eorum quæ uerum declarent & expriment Apostolum. Vos enim mihi testimonium dicetis, quòd omnia perfecim.

IN omni patientia.] Primus character apostoli, est patientia, omnia dextrẽ ac strenuẽ ferre. Contemplare hic nõn alta spirantem uel de sese cogitantem Pauli mentem, quanta pericula, quantaque bella, tam interna quã externa, una hac dictione subindicans prætercurrerit. Quod enim erat ipsius opus, patientia nimirum, unica dictione expressit & absoluit: quod uero ad signa attinet, quæ ipsius non erant, sed gratia Dei, pluribus enarrauit. Audi igitur.

IN signis, & prodigijs, & uirtutibus.] Quid differat signum à prodigio, alio in loco dictũ est. Ne uerò existimet aliquis, hæc de solis beneficijs quæ in eos cõtulit, dicta esse, in uirtutibus apostolus positum est. Siquidem uirtus seu potentia, apertius quiddam ac poenam inferens significat. Reputa autem hic, quot uita defunctos, leprosos, cæcos, dæmonibus occupatos, omneis ab se beneficijs affectos, simpliciter comprehenderit, ac iuxta castigatos, qualis ipse Elymas.

Act. 13. QUID enim est quod minus habuistis cæteris ecclesijs.] Ne quis dicat, Magnus quidem es Paule, uerũ non tanta tamen operatus es, quanta reliqui apostoli in alijs ecclesijs: ait, In quo inferiores fuitis: hoc est, quid minus habetis: num minus donum naeti estis, quã cæteri?

NISI quòd ipse ego non grauauit uos, donate mihi hæc iniuriam.] Magna grauitate & asperitate obiurgat eos, inquiens: Si hoc culpatis in me, quòd uos nõ grauauim, uerũ gratis, ac citra impensas uestras Euangelium prædicaui: donate mihi peccatum hoc. Simul autem encomion illorum continet sermo, qui iniuria sese adfici putant, quòd nihil ab se dignatus sit accipere.

BCCB iam tertio hoc paratus sum uenire ad uos, & nõ ero grauis uobis: nõ enim quero quæ uestra sunt, sed uos.] Ne uideatur hoc cõtinuò proferre ipsis, quasi posthac accepturus sit quicquam, ait: Non propterea quòd non accipiam, eam ob causam ad uos non uenio. Quinetiam secundo inuisi, ac tertio iam paratus sum ad uos proficisci, nec aggruabo uos. Quamobrem? Non quia terremini, neque quòd infirmi sitis, enim uerò quia non uestra, sed uos ipsos quero, hoc est, uestram salutem, & animas, non pecunias.

NON enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.] Quia uerissimile erat eos dicere, Non enim licet, ut & nos & nostra habeas: itaque ægro erga nos animo affectus es, & uideris nobis nõ bene uelle: propter hoc ratiocinatione infert, Parentum est liberis dare, pro præceptoribus ac discipulis parentes ac liberos adsumens: inueniens ita debitum sese explere; remque se quam præmittere non possit, transigere.

A EGO autem lubentissimè impèdā & superimpendar pro animabus uestris.] Ego, inquit, nō solum non accipiam à uobis, sed potius addam. id enim est quod ait, Impendam. Et quid dico pecunias impendam, ipse ego expendar: hoc est, si oporteat me carnem corpusq; meum pro salute uestra impendere, non parcā.

LICET plus uos diligens, minus diligar.] Hoc accusationē pariter habet ac dilectionem. Hæc, inquit, facio sanè pro dilectis à me, non pariter tamen diligentibus me. Expende autem, quòtnam gradus hæc causa admittat. Cū debuisset accipere, non accepit: secundum, destitutus: tertium, ipsis uerbum prædicans: quartū, quod addit etiā: quintū, quod non simpliciter, uerū cum alacritate & cupiditate (ex indigētia enim) addat: sextū, quod seipsum impèdat: septimū, p̄ijs qui nō perinde ipsum redament: octauū, quod pro impēse amatis sese impèdat.

SED esto, ego uos nō grauauī, sed cū astutus essem, dolo uos cepi. Nunquid per aliquē eorum quem mihi ad uos, circumueni uos?] Quod ait, est huiusmodi: Ego quidem uos non circumueni, potest tamē aliquis fortasse suspicari, quod ipse non accipiens subornarim tanquam uaser alios à me missos, q̄ sua p̄sona quicquā à uobis peterēt, ut hoc cōpēdio accipiēs, nō uideat tamē accipere. Nū igitur hoc uerū sit, uidete & contēplamini. Circūuentionē aut rursus uocat rē, carpens eos & pudore afficiens, & ostēdens quod inuiti daturi erant, ac ueluti circūuēti. hæc enim est circumuentio, ab inuito quopiā accipere. Quod maximū in pudorē eis cedit, si circumueniri siue fraudari se arbitrarentur, cūm alerent præceptorem ac doctorem suum.

ROGAUI Titū, & misi cū illo fratrem: nūquid uos Titus circūuenit?] Hoc etiā nō nihil obiectionis & opprobrij habet. Nō misi, inquit, sed rogauī: innuēs quod etiā si accepisset, iure accepisset, rogatus. n. uenit: attamē uel sic purus māsit. Misit autem unā & aliū fratrem quempiam.

NONNE eodē spiritu ambulauimus?] Hoc est, nonne eodē dono spirituali: donū. n. uocat, quod cū in angustia esset, nihil acciperet. Atqui opus ipsius erat, Deo tamē acceptū refert.

NONNE iisdem uestigijs?] Ne in minima quidē re tramitē meū excefferūt, sed eandē exactā rationē à nobis præmonstratā ostenderūt. Expende autē quō nedū seipsum sic erudierit Paulus, uerum etiam suos commilitones, ne polluerēt omnino uel iusta etiam acceptione.

RURSVM existimatis, quod excusemus nos apud uos: corā Deo in Christo loquimur.] Metuit, ne adulationis opinionē incurrat. Nō ad gratiā, inquit, uestrā hæc dicimus, neq; ut uobis nos excusemus, sed tāquā cernēte Deo, & in Christo, hoc est, p̄ Christū loquimur. Itaq; illa dicimur, quæ facta sunt, et à Deo+ decreta, & nō ut cōmēdē meiplū uobis. qd̄ & in exordio dixit.

HÆC autē omnia dilecti p̄pter ædificationē uestrā.] Nō dixit, Propterea hæc omnia feci, et nihil accepi, quia uos infirmi eratis, hoc. n. asperū fuisset ac durū: sed Propter uestram ædificationem. Ut enim, inquit, nō offendamini in me, eapropter nō accepi, ob uestrā nēpe cōmoditatē.

TIMEO enim ne fortē cū uenero, nō quales uolo uos inueniā: & ego inueniar in uobis, nō qualem uos uultis.] Viden' paternā curam? Alij peccarūt, & Paulus metuit, neq; certō quicquam adferit, sed dubitat adhuc. Ne fortē cum uenero, non quales uelim uos inueniā, hoc est, corruptos: & inueniar ego necessariō qualem non uultis, hoc est, ultor & punitor.

NE quo modo contentiones, emulationes, irē, cōcertationes, detractiones, susurrations, inflationes, seditiones.] Primū positurus erat inflationes, aduersus ipsum enim arrogantes erant: attamen ne uideatur quæ sua sunt querere, quod commune est primū dicit. Ab æmulatione enim & inuidia omnia alia nascebantur, ac rursus ab illis æmulatio accendebatur. Cōcertatio autem dicitur, quando quisquam per litem prouocat alterum super quāpiam re. susurrationem autem calumniam uocat. inflationes, quæ ad ostentationem & arrogantiam spirant, tumidosq; mores, uel quando cū in naturam quandā tumōr tralatus fuerit. Aduersus ipsum enim elati, pseudapostolos honorabant.

NE iterum cum uenero ad uos, humiliet me Deus meus apud uos.] Hoc est, sufficiunt priora. Metuo autem, ne iam ueniens cogar austerius uobiscum agere. Humiliationem enim uocat, quod omnino sit puniturus aliquos: atqui multi istud gloriam esse censent. Non dixit autem, Ne humiliet: uerū, Ne humiliet me Deus, indicans quod Dei causa istuc facturus sit. Ni si enim palām propositus esset Deus, ipsiusq; mandatum, à seipso non ita austerus uisus esset. Quod ait, Deus meus, ardentem eius charitatem erga Deum indicat.

ET lugeam multos, ex his qui antē peccauerunt & non egerunt pœnitentiam super immūditia & fornicatione, & impudicitia quā gesserunt.] Apostoli hīc uiscera & miserationem animo uoluta: nam pro aliorum delictis ipse lugeat. Non dixit autem omnes, sed multos: nec simpliciter qui peccarunt, sed quos non pœnituit suorum scelerum. hi enim digni sunt luctu, qui in uulnere, nullam exhibentes medicinam, permanent. Neq; illos retegat, dans eis facilem ad pœnitentiam aditum. Eā enim ob rem & pœnitentiæ meminit, ut eam arripiant, nec ubi uenerit, puniat eos, ac propterea lugeat, hoc est, summo mœrore conficiatur. Obserua quod dixit de pœnitentia, propter Nouatianos. Per immūditia autē quo diuis peccatum accipies: quod diuis enim peccatū immundū facit. Vel speciatim nefariā corporū mixturā, qua nefanda committitur. Nō enim unus erat qui fornicatus erat, sed multi: idq; in plerisq; lasciuiarum speciebus.

CAPVT XIII.

TERTIVM hoc uenio ad uos: in ore duorū testium aut trium stabit omne uerbū.] Perinde ac Deus multa interminatur, semp autē cūctatorē agit in inferēdo supplicio: hūc ad

Ab inuito quicquam accipere, re, circumuentio est, siue fraudatio.

† inuolutum, id est, decreta uel cognita.

Concertatio. Susurratio. Inflatio.

Alios punire Paulus humiliationem uocat, quod pleriq; sibi gloriæ ducunt.

Nouatiani.

Deut. 17. Matt. 18.

modum imitator eius Paulus haud pauca praestificatur ante aduentum suum. Vt scriptum est, inquit, coram duobus aut tribus testibus omnem controuersiam siue ambiguitatem fisti, hoc est confirmari: hanc ad rationem tribus meis aduentibus, omne uerbum quo interminatus sum uobis, statuatur aduersum uos: & planè cum auctoritate perficietur, nisi resipueritis. Testimoniorum enim loco aduentus suos ponit.

PRAEDIXI & praedico, ut praesens cum essem iterum, & absens nunc, scribo ijs qui antehac peccauerunt, & reliquis omnibus. Quòd si uenero iterum, nò parcam.] Praedixi, inquit, & rursus praedico, quemadmodum secundò adueniēs & praesens uobis dixi, sic etiamnum hisce literis pronuncio ijs quidem qui flagitia comiserunt, ceu indigentibus correctione: reliquis autem ceu testibus, si rursus uenero, nec dixit Puniam, sed paterno uerbo parcendi usus est, Quòd si enim incorrectos, inquit, inuenero, non porro reuocabor ab instituto meo.

QUONIAM probationem eius quae in me loquitur, Christi, quaeritis.] Cù magna indignatione ad contemnētes ipsum ueluti imbecillè & nihili hominè, hæc dicit. Quàdoquidè, n. uultis explorare nū Christus in me comoretur, ac propterea me ridetis ceu infirmum, & à Christo desertum, agnosceitis omnino, ni uitā moresq; uestros correxeritis. Comòstrat autē spiritualia esse quæ loquatur uerba, deincepsq; metuēdas esse minas suas, ceu loquētis sint Christi. Nò ideo autē puniebat eos uelut probationē aut expiētiam daturus: uerū quia insanabiliter delinquebāt, si cogar inquit, pœnā sumere de uobis, adeoq; punire uos, sentietis pro opa ipsa explorationē quā anqueritis.

QUI erga uos non est infirmus, sed potēs est in uobis.] Cur appoluit, erga uos, cū ubiq; potens sit: quia uerisimile erat eos iam antea expertos esse potētiam. Ait igitur: Quia iam antea experimentum accepistis, omnino nouistis quòd in uos non sit infirmus, sed fortis potensq;. Vel quia in hac uita potentiam suam in uos demonstrat qui corrigi potestis, percutiens uos nunc, ut in futuro iudicio dimittat. Erga infideles autem ostendet potentiam in die iudicij. Simul autem indicat quòd etiam si puniturus sit, se tamen non puniturum, sed Christum.

NAM & si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei.] Plerique offenduntur ex dictione hac: atqui disce quòd dicatur infirmitas tum corporis, tum circa fidem debilitas, ut eo loci: Infirmum in fide suscipite. Dicitur rursus infirmitas etiam insidiarū ipsarū, & pericula, & ignominiarū, ut cum dicit: Oblector infirmitatibus, & similia. Secundum hanc igitur significationem Christus ex infirmitate crucifixus est, insidias sufferens, & periculum, & iniuriarū. hæc enim uidentur ex infirmitate fieri. Perinde igitur ut stultitiam uocat Paulus praedicationē, nò quòd sit, sed quòd ita reputetur infidelibus: sic ex infirmitate dicit crucifigi Dominum, quæ ita ab incredulis existimabatur, cum tamen non esset. Viuit tamen ex potētia Dei, hoc est, patris,

Rom. 14.

Suprà 12.

1. Cor. 1.

Ioan. 2.

siue sua ipsius. Nam quæcunq; patris sunt, etiam ipsius sunt: & quæ ipsius sunt, patris sunt. Proinde ipse etiam seipsum excitauit, æquè ac praedixit: Soluite templum hoc, & excitabo illud. Hæc autem omnia dicit Paulus, quia contemnebant ipsum, ut qui persecutionibus & insidijs esset obnoxius, atque ex infirmitate hæc eum pati existimabant. Ob oculos itaq; ponit quòd Christus ex hac, ut putabatur, infirmitate nihil damni acceperit.

NAM & nos infirmi sumus in ipso, sed uiuemus cū ipso ex uirtute Dei erga uos.] Hoc est, persecutionem patimur & agitur. Hæc enim est infirmitas, in ipso, hoc est, propter ipsum, ipsiusque uerbum, & Euangelij præconium. At perinde ac ille nò est læsus insidijs petitus, sic neq; nos, sed uiuemus cum ipso, id est, inuincibiles inueniemur erga uos, hoc est, ad uestrā comodatatem. Fortasse autē adhuc terret eos. Nam si putatis & nos esse infirmos, scitote nos esse uiuentes erga uos: quippe quos, nisi uitā uestrā & mores aliter institueritis, punire queamus.

UOS ipsos tentate num sitis in fide, ipsi uos probate.] Quid dicā, inquit, de me ipso, quòd Christus in me loquatur, & quòd potens sim: illum tamen crucifixum inuitatus, non inuado uos. Porro si uelitis uos ipsos explorare, uidebitis in uobis ipsis Christum. si quidem omnes habetis fidē (credentes enim tū miracula edebant) uel fidē simpliciter uel signorū, quæ specialior est. Proinde si in uobis discipulis Christus est, multo potius in me præceptore uestro est.

AN nò cognoscitis uosmetipsos, quòd Iesus Christus in uobis est, nisi quid reprobis sitis.] Hoc est, nisi quid excideritis à gratia signorum quam accepistis. Innuit autem clanculum eos uita corruptos esse. Quia enim plerique fidem habētes, miraculorū fuerunt destituti exhibitione & operatione, tanquam uita corrupti, ut uidetur, inquit, non agnoscitis uos ipsos, quòd Christus Iesus est in uobis: Non est autem in uobis, eo quòd uita sine moribus sitis reprobis. Non certò autem hoc expressit, sed ambiguè posuit, ne acerbius eos feriret ac incesset.

SPERO autem quòd cognoscetis quòd nos non sumus reprobis.] Magnæ hinc minæ prodeunt. Quia enim uultis accipere probationem, per pœnam quam uobis infligemus, uenio in spem, nobis non defuturam demonstrationem quòd non simus reprobis, neq; exciderimus à gratia signorum & uirtutis: neque uita sumus ita corrupta, ut è nobis, eque domo nostra migrare coactus sit Christus: uerum est in nobis per probatam uitam, eosque puniet qui inter uos sunt immorigeri.

PRECOR autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut uos quòd bonum est, faciatis, nos autem ut reprobis simus.] Reputa hic Apostoli clementiā & miserationem. Vilipendebatur, proscindebatur, tãquam qui nihil posset, sed solum in literis turgere. Ipse uerò non solum differt ac reijcit pœnam, uerum etiam rogat ne unquam ipsi peccatum

Arum cōmittant, & ne ipse eos punire cogatur, necessitate hoc postulāte, eorūq; demeritis. Nō enim in hoc elaboro, inquit, ut uidear p̄batus, ceu potentiā puniendi habens, cæterum ut uos bonū faciatis semper: & si unquā cōtingat uos delinquere, ut pœniteat uos scelerū, & ego sim ueluti reprobis: hoc est, ut ego apud plebeios uidear infirmus, ac potentia uacās, quippe qui nō inueniā locū puniēdi uos. Nō. n. reuera re. p̄bus esse cupiebat. Probat. n. potius inuenie batur, qđ sic erudiat discipulos, ut nihil peccet. sed multorū opinione dixit illud ueluti re. p̄bi.

NON enim possumus aliquid aduersus ueritatē, sed p̄ ueritatē.] Ne uideatur blandiri eis, ait: Ex mente omnino uanæ gloriæ experte hæc facio. Si inuenerimus uos firmos ac minimē nutātes in fide, nō poterimus uos punire. Quod si etiā tētauerimus, Deo nobis nō cooperabitur. Potentiā. n. nobis dedit, ut uerū feramus calculū, qui haud sit ueritati aduersus. Verē autē de cernit, qđ dignū punit: aduersus autē ueritatē fert suffragiū, qui nō peccantē etiā punire tētāt.

GAUDEMUS enim quando nōs infirmi sumus, uos autē potentes estis.] Rursus ostendit seipsum admodum ipsis esse addictum. Ait enim: Ne existimetis quod quia non possum (quādo quidem uos non impingatis, careatisq; errore) potentiam meam demonstrare erga uos, p̄pterea doleam: lætor enim maximē, quando ipse quidem ego infirmus, hoc est, infirmus reputer, quod non possum potentiam meam puniendo uos demonstrare: uos autem potētes sitis, hoc est, uirtute conspicui, lapsuq; uacantes.

HOC autem & precamur, uestram perfectionem.] Non solum, inquit, hoc uolo, sed precor etiam esse uos irreprehensibiles & integros, hoc est, perfectos, nullam exhibentes aūsam siue occasio nem uos reprehendendi.

PROPTEREA hæc absens scribo ut non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.] Postquam acriter eos terruerat, & interminatus erat, nunc defensionem parat, Eam, inquit, ob causam sic scripsi, quod uoluerim minas meas ad literas usq; esse, & se ueritatem, neq; re ipsa & operibus demonstrari. Nō correctos enim omnino duriter puniā ac seuerē, postquā potestatem dedit mihi Dominus. Hinc indicat quod Dominus etiam per ipsum, ut medium, punit. Commonstrās porrō quod non desideret potestate sua uti ad illorū supplicium, apposuit, non ad destructionē, sed ad ædificationem: hoc est, in primis Deus non uult destruere, siue punire, sed ædificare, hoc est bene facere. Atqui demoliri ea ac destruere quæ sunt inædificabilia, ædificare etiam est.

QUOD reliquum est fratres, gaudete.] Ego, inquit, quod meum est feci, reliquū est ut uos uestra etiam simul adferatis. Si enim uitam uestram correxeritis, inmarcescibile possidebitis conscientie gaudium, etiam si tristitia uobis locutus sim.

INTEGRI estote.] Hoc est, perfecti estote & in doctrina, & in moribus, ac replete quæ defunt uobis.

CONSOLATIONEM accipite.] Quia multæ fuerunt tentationes & pericula, Consolationem, inquit, accipite & à uobis ipsis, & alter ab altero, & à permutatione uestri in melius. Magna enim consolatio est, conscientia bona.

IDEM sapite, pacem habete.] Hoc & in priore epistola ab ijs petijt, ceu dissidentibus. Cōtingit autem idem sapere, in unanimitate doctrinæ: pacē uerō non agitare & exercere, in mutua conuersatione. Vtraque ergo ab ipsis Apostolus expetit ac postulat.

ET Deus pacis & dilectionis erit uobiscum.] Non solum adhortatur, uerum etiam exoptationem adijcit: uel ne hæc quidem est exoptatio, sed eius quod consentaneū futurum est prædicatio & prolatio. Nam si pacem inter uos alueritis, Deus erit uobiscum. Charitatis autē Deus dicitur, uel quod ueluti fons sit huius, uel quod eam erga uos eximiam ostēderit: uel quod ubi sit charitas, illic & ipse sit, & dñs huius appareat. Similiter & pacis, siue quod fōs sit huius: siue qđ pacata fecerit tā quæ in cælo, quàm quæ sup̄ terrā: uel qđ sit dñs eius rei, & possessiōis.

SALVATE uos mutuo in osculo sancto.] Nō fucato ac dolofo, Iudæ instar. Propter hoc enim osculamur, ut magis accēdamus charitatem. Nam os præ cæteris maximē membris cōnectit animas. etenim reuersi, unionem significantes osculum figimus. Vel quia templum sumus Dei, huius autem templi uestibulum est os, uestibula osculamur. per hæc enim uestibula ingreditur Christus, quando nos communicamus.

SALVTANT uos sancti omnes.] Præsentes quidem per osculum connectit, absentes autem per salutationem. Imō & hosce connectit os: nam ab ore saluatio proficiscitur.

GRATIA Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti spiritus sit cum omnibus uobis, Amen.] Quia cōnexuit oēs, imprecatur eis cōsueti sibi more gratiā filij, p̄ quā seruauit nos, nō ex operibus nostris, sed ex gratia, mactatus ipse p̄ nobis: ac dilectionē patris, qua dilexit nos, dās unigenitū p̄ nobis. Tanquā autē interrogatus, undē nā filij gratia adueniat, ex patris, inquit, dilectione. Quid uerō effecit? cōmunionē sancti spiritus, hoc est, participationē & assumptionē, qua sanctificamur aduētū spiritus paraclēti in nos, participes ipsius facti, imō & ipsi in spiritum permutamur, non essentia, sed participatione. Vbi ergo sunt qui spiritum sanctum reijciunt, quia in principio epistolarum hoc non ponit? En, iam posuit, atq; ternarius tibi cōsummatas à diuo Paulo cōnumeratus est, p̄ quæ cōseruemur, ueritatis dogmata firmiter retinēdo, ac uitā incorruptibile exhibēdo, ut reuera p̄fecti simus, utrinq; benē habētes, serui p̄fecti, p̄fecti in Triade Dei cōmonstrati, cui gloria in secula seculorū. Amen.

Scripta est à Philippis Macedonia urbe, per Titum & Lucam.

Pauli clemētia.

Incorrigibiles punire, ad ecclē siæ ædificationem pertinet.

Deus charitatis & pacis.

Tit. 3. Ioan. 3.

IN